





HOME USE RULES

All books subject to recall

All borrowers must register in the library to borrow books for home use.

All books must be returned at end of college year for inspection and repairs.

Limited books must be returned within the four week limit and not renewed.

Students must return all books before leaving town. Officers should arrange for the return of books wanted during their absence from town.

Volumes of periodicals and of pamphlets are held in the library as much as possible. For special purposes they are given out for a limited time.

Borrowers should not use their library privileges for the benefit of other persons.

Books of special value and gift books, when the giver wishes it, are not allowed to circulate.

Readers are asked to report all cases of books marked or mutilated.

Do not deface books by marks and writing.



海門黃伯祿斐默甫輯譯

中西歷日合璧

光緒乙酉仲秋滬西徐滙書坊排印

A. M. D. G.

DE CALENDARIO SINICO

VARIÆ NOTIONES

CALENDARII

SINICI ET EUROPÆI

CONCORDANTIA

AUCTORE P. PETRO HOANG

SACERDOTE

EX CLERO MISSIONIS NANKINENSIS.



ZI-KA-WEI

EX TYPOGRAPHIA MISSIONIS CATHOLICAE

IN ORPHANOTROPHIO TOU-SÈ-WÈ.

1885.

中西歷日合璧

DE CALENDARIO SINICO ET EUROPÆO.

DE CALENDARIO SINICO VARIÆ NOTIONES.

CALENDARII SINICI ET EUROPÆI CONCORDANTIA.

DE CALENDARIO ECCLESIASTICO.

AUCTORE P. PETRO HOANG
SACERDOTE
EX CLERO MISSIONIS NANKINENSIS.

In prima parte hujus libri exhibentur notiones : 1°. De his, quæ in duplici Calendario Sinico continentur; 2°. De cyclo sexagenario et de modo inveniendi signum hujus cycli cujusque anni sive ante sive post Æram vulgarem, ac de methodo qua signa cyclica mensibus horisque assignantur; 3°. De modo, quo Sinenses annum, lunam, diem et horam supputant; 4°. De quatuor systematibus, quibus Sinenses antiquitus et temporibus modernis mensem embolimæum inserunt, etc..

In secunda parte exhibetur Concordantia annorum Æræ vulgaris cum annis regni Imperatorum, nec non concordantia dierum mensium solarium cum diebus mensium lunarium ab anno 1624 ad 2020; exhibentur etiam signa cyclica horum annorum, mensium lunarium, et cujusque primi diei mensium, etc..

In tertia parte exhibentur notiones : 1°. De litteris Dominicalibus; 2°. De Epactis; 3°. De correctione Calendarii circa solarem ac lunarem æquationem; 4°. Traduntur formulæ ad inveniendas litteras Dominicales, Epactas et dies Paschatis sive ante sive post Calendarii correctionem, etc..

Venit Sapecis

ZI-KA-WEI prope CHANG-HAI
Typographia Missionis Catholicæ in Orphanotrophio Tou-sè-wè.
1886.

AD LECTOREM.

Inter usus, quibus Sinenses ab Europæis discrepant, imprimis Calendarium est, seu dierum, mensium, et annorum indicatio. Quamvis enim tum Europæi tum Sinenses anni tempora congruenter naturali revolutioni terræ circa solem, ordinent, tamen Europæi annum civilem simpliciter ex hac revolutione computant, et duodecim partes, in quas hujus revolutionis totum spatium distribuunt, menses vocant, quin hos ad lunationes curent referre : quo fit ut annus, bissexto Calendas Martii identidem interjecto, perfecte solari cursui respondeat, mensis vero a lunatione discordet. At Sinenses mensem ex circuitu lunæ circa terram calculant, et annum, quem ex hoc circuitu duodecies vel tredecies repetito efformant, ad cursum solis accommodant : quo fit ut mensis exacte lunationi congruat, annus vero cum cursu solis non perfecte concordet. Hoc discrimen provenit ex eo quod duodecim lunationes non complent annum solarem, cum plerumque ad illum complendum undecim desint dies. Exinde, licet dies pari modo tum a Sinensibus cum ab Europæis ex gyro terræ super axim suam computetur, tamen ejus datio seu appositio juxta diversam anni et mensis computationem maxime differt. Ratio autem, cur Sinenses ab initio, quo scientiam astronomiæ excolere inceperunt, in præsens usque in Calendario concinnando computationem per lunationem præelegerint, ea fuisse videtur, quia in hujus computationis systemate accurata mensis concordia cum lunatione modo maxime visibili apparet, et modica anni vagatio a cursu solis modo non tam sensibili animadvertitur. Quanquam populus Judaicus, apud quem nostra Sancta Ecclesia cunas suas habuit, lunari etiam anno utebatur, tamen, cum illa ex divina Providentia, sedem suam et primatum Romæ, in urbe tunc

totius Europæ Metropoli ac Regia, constituere voluerit, methodum solaris computationis, quæ ibi tunc vigebat, sibi censuit usurpandam. Inde omnia encyclica acta, quæ ex sancta Sede per orbem emanant, diem habent juxta solarem computationem datum. Quod Sinensibus non nihil negotii facessit, cum opus sit eum in Sinicum traducere. Ut hæc difficultas aliqua ex parte diminueretur, mihi visum e re fuit, hanc CALENDARII SINICI ET EUROPÆI CONCORDANTIAM compingere, et in usum Missionariorum divulgare. Ut vero hoc Sinicum Calendarium, quod jussu Imperiali editur, quid continent, quove systemate sit concinnatum, innotescat, varias notiones, quæ ad rem spectant, breviter præfari curavi. O quam maxime optandum, quamque instantissime a Deo implorandum est, ut hoc Sinicum Calendarium, quod hæc tota gens uti sacrum quid æstimat, abundanti divina gratia illuminante, et cæcitatem hujus abigente, tandem aliquando, omnibus superstitiosis observationibus expunctis, dies Deo Optimo Maximo sacratos, et Sanctis ejus dicatos, necnon jejuniis et abstinentiis assignatos contineat, atque ii dies civili etiam accedente sanctione, per hoc amplissimum Imperium sancte serventur!

Chang-hai die 25 Maii 1884.

PETRUS HOANG
ex clero Missionis Nankinensis presbyter.



INDEX.

ERRATUM.

Pag. VIII. linea penultima *Ki-tchêou* 己丑. Corrige *Ki-hai* 己亥.

DE CALENDARIO SINICO

VARIÆ NOTIONES.

PARAGRAPHUS I.

DE DUPLICI CALENDARIO.

1. Calendarium, quod jussu Imperiali in usum populi publicatur, duplex exstat. Primum, *Wan-nien-chou* 萬年書 *Multorum annorum liber* dictum, est *Compendium Calendarii*, quod 397 annos, ab anno 1624 ad 2020, complectitur. In eo de singulis annis indicata habentur : 1° signum cyclicum anni ; 2° mensis lunaris *major* (plenus) seu 30 dierum, mensis *minor* (cavus) seu 29 dierum, et mensis intercalaris ; 3° signum cyclicum 1^mi^, 11^mi^, et 21^mi^ diei cujuslibet mensis ; 4° dies et momentum, in quod, juxta horam a meridiano Pekini desumptam, unaquæque 24 solarium stationum (1) incidit.

2. Hunc librum reimprimendi facultas privatis datur. Ratio vero, cur hoc *Wan-nien-chou* 萬年書 *Multorum annorum Calendarium* ab anno 1624 initium ducat, ea fuisse videtur, quod licet primus hujus dynastiæ Imperator recenseatur *Choen-tchê* 順治, anno 1644 Imperio Sinarum potitus, tamen fundator dynastiæ dicendus est ejus avus *Tien-ming* 天命, qui ante eum Manchouriæ ac Mongoliæ imperabat (2) : primùm vero cycli sexagenarii signum, a quo Calendaria inchoari solent, nono ipsius Regni anno, scilicet 1624, contigit.

3. Secundum est *annuale Calendarium* et magis completum, quod sub præcedentibus dynastiis *Li-je* 曆日 *Ordo dierum* dicebatur, in præsenti vero *Che-hien-chou* 時憲書 *Omni tempore conformis (cœlo) liber* appellatur. Illud hoc nomine titulari decrevit Imperator *Choen-tchê*

(1) Vide infra N. 36...

(2) Vide infra Pargraph. X.

順治, primo Regni sui anno (1644), postquam P. Joannes Schall *Tâng-jo-wang* 湯若望 novum Calendarium juxta methodum Europæam supputatum ei obtulerit.

4. In hoc *annuali Calendario* indicata inveniuntur : 1° Signum cyclicum anni currentis, duodecim ejus anni lunarium mensium, et omnium dierum; 2° Mensis *major* vel *minor*, et mensis *intercalaris*, si occurrat (1); 3° Denominatio cujuslibet diei per 5 *elementa* (2), 28 constellationes (3) et 12 *præsagas fortunæ* notas (4); 4° Dies et momentum, in quod incidit novilunium, plenilunium, dichotomos crescens *Chang-hien* 上弦, et decrescens *Hia-hien* 下弦; 5° Dies et momentum, in quod incidit quælibet *solaris statio* (5) juxta diversa meridiana variarum Metropolium Sinarum, tribuum Manchouriæ et Mongoliæ, ac tributariorum regnorum; 6° Momentum ortus et occasus solis præcipuorum dierum mensis, necnon spatium temporis diurni et nocturni eorumdem dierum item pro diversis Metropolibus; 7° Tandem variæ superstitiosæ adnotationes, quibus designantur dies et horæ faustæ aut infaustæ ad hoc vel aliud, ibi vel alibi operandum.

5. Hæ superstitiosæ adnotationes sub dynastia *Yuen* 元 (1280), ut aiunt critici, Calendario inseri cæperunt. Sub initio dynastiæ *Ming* 明 (1390) *Hiai-ta-chen* 解大紳 Academiæ Doctor Imperatori *Hong-ou* 洪武 per libellum supplicem exposuit: « *Calendarium solum inservire ad indicanda tempora laboribus, plantationibus, et messionibus opportuna : indicationes dierum faustarum infaustarumve, et alia id genus non*

---

(1) Indicatio mensis *majoris* vel *minoris* in Calendario annuali aliquando a Calendario *Wan-nien-chou* 萬年書 recedit : ex. gr. in hoc Calendario anno 1856 mensis 10^{us} erat *minor*, 11^{us} *major;* 1866, 3^{us} *major*, 4^{us} *minor;* et 1869, 3^{us} *minor*, 4^{us} *major*. At in illo Calendario annuali, quod suo tempore fuit promulgatum, anno 1856 mensis 10^{us} fuit *major*, 11^{us} *minor;* 1866, 3^{us} *minor*, 4^{us} *major;* et 1869, 3^{us} *major*, 4^{us} *minor*. In hac nostra Concordantia de annis præteritis correctam indicationem sequuti fuimus: De annis vero futuris, si quæ hujusmodi mutatio erit, Lector facile de uno mense differentiam unius diei corrigere poterit.

(2) Vide infra N. N. 13. 14. 43.

(3) Vide infra N. N. 44. 45. 46.

(4) Vide infra N. 47.

(5) Vide infra Paragraph. VII.

solum inania, sed etiam superstitiosa esse : hæc se arbitrari Calendario Imperatorum Yao 堯 (2357 a. C.) *et Choen* 舜 (2255 a. C.) *certo non fuisse inserta : Unde Calendario inserendum esse tantum solis et lunæ cursum, stellarum ordinem et situs planetarum* (1).» *Mei-wen-ting* 梅文鼎 celebris astronomus, cujus opus fuit anno 1703 ab Imperatore *Kâng-hi* 康熙 revisum et laudibus dignatum, in appendice sui operis dissertationem contra superstitiosas adnotationes Calendario insertas adjecit : «*Calendarii usum et finem esse, ut indicentur epochæ anni agriculturæ et aliis laboribus opportunæ : nullatenus esse ad fausta infaustave observanda : astrologium modernis sub seculis fuisse a viris dolosis inventum, ad populum simplicem decipiendum : olim Hiai-ta-chen* 解大紳 *Academiæ Doctorem rectissime idem exposuisse : quod hujus expositio tunc non fuerit acceptata, maxime dolendum esse : magnopere igitur optandum esse ut illæ superstitiosæ adnotationes e Calendario annuali expungantur* (2).»

6. Illæ superstitiosæ adnotationes fiunt quidem in Tribunali Matheseos, sed ab agentibus specialibus ad id deputatis, qui rem combinant, sequendo libros ab Imperatore assignatos *Hie-ki-pien-fang-chou* 協紀辨方書 et *Siuen-tché-li-chou* 選擇曆書. Missionarii vero, qui assumpti erant ad Tribunal Matheseos, officium habebant solum de his, quæ ad calculum tabularum spectant (3).

PARAGRAPHUS II.

DE PUBLICATIONE CALENDARII.

7. Singulis annis die 1ª Mensis 2di Tribunal Matheseos tria exemplaria *Calendarii annualis* sequentis anni, triplici lingua, Sinica, Manchou-

(1) Ming-che 明史. t. 147.

(2) Li-hio-i-wen-pou 曆學疑問補 t. 2.

(3) P. Souciet. Observat. Mathemat. t. 2. append. dissert. 5.

rica et Mongolica, conscripta Imperatori offert. Cujus approbatione accepta, illa in tabulis sculpi et imprimi curat. Die 1ª mensis 4ti singulis *Fang-tai* 藩臺 *Metropolitanis Quæstoribus Ærarii* (excepto *Quæstore* provinciæ *Tche-li* 直隷), unicuique duo impressa exemplaria Sinice scripta mittit; quorum unum sigillo Tribunalis Matheseos munitum in archivio *Quæstor* servat, et alterum sigillo non munitum in tabulis sculpi jubet, ut exemplaria imprimantur in usum suæ provinciæ.

8. Die 1ª mensis 10mi summo mane Tribunal Matheseos curat calendaria Imperatori et Imperatricibus offerenda, per *Long-tîng* 龍亭 *thensam draconibus ornatam,* et illa Principibus, Ministris et Magistratibus Regiæ distribuenda, per octo *Tsâi-tîng* 綵亭 *thensas sericis ornatas,* maximo apparatu, Regia musica, comitantibus hujus Tribunalis Præsidibus, ad Palatium Imperatoris deferri. Cum ante primum introitum Palatii perventum fuerit, Calendaria Imperatori offerenda super abacum ibi ornate præparatum, et ea aliis distribuenda super alios duos abacos ad latera illius hinc inde collocatos deponuntur. Illa, quæ sunt in Imperatoris, et ejus familiæ usum, sigillo Tribunalis Matheseos non muniuntur, quæ vero sunt in Principum et aliorum usum, sigillo sunt munita. Inde abacus medius Calendariis cumulatus intra Palatium defertur : Ibi Præsides Tribunalis Matheseos ter genua flectunt, et post singulas genuflexiones ter sese ad terram usque inclinant. Qua cæremonia expleta, accedunt Eunuchi, illa accipiunt, et recedentes, Imperatori, Imperatrici matri, Imperatrici et aliis personis, quæ in Regiis gynæceis degunt, unicuique duo exemplaria, unum Sinice, alterum Manchourice scriptum offerunt. Mox accedit Cæremoniarius Regius ad primum introitum Palatii, ubi sunt duo abaci calendariis cumulati, et Principes, Ministri, Magistratus sive Manchourii aut Mongolistæ, sive civiles aut militares adsunt congregati, habitu solemni induti, per ordinem adstantes. Dum Cæremoniarius Mandatum Imperiale publicationis Calendariorum legit, «*Imperator annuale Calendarium anni N. vobis omnibus distribuit, et per totum Imperium promulgat,*» omnes genuflexi id audiunt. Dein factis tribus genuflexionibus et novem prostrationibus, singuli genuflexi recipiunt Calendarium, Principes duo exemplaria unum Sinice et alterum Manchourice scriptum, Ministri et alii unum exemplar sua cujusque lingua scriptum. In fine Legato Coreano, qui singulis annis eo die adesse debet, item genuflexo centum exemplaria Sinice scripta porriguntur, quæ ad suum regnum referantur.

9. In Provinciis *Fang-tai* 藩臺 *Metropolitani Quæstores Ærarii*

postquam impressa Calendarii exemplaria sigillo ad hoc destinato muniri fecerit, eadem die nempe 1ª Mensis 10ᵐⁱ aliquot exemplaria per thensam ad Proregem et Gubernatorem provincialem deferri curat, comitante Mandarino *Li-wen-tîng* 理問廳, cujus curæ editio Calendarii a *Quæstore* committi solet. Prorex vel Gubernator Provincialis illa recipit cum musica et tribus explosionibus tormenti. Potquam illa super abacum duabus candelis instructum in Prætorio collocatum deposita fuerint, Prorex vel Gubernator solemni habitu indutus accedit ante abacum, et facie versa ad partem, in qua Regia Pekin sita est, (v. g. Prorex *Nan-kin* 南京 est versus ad hesperoaquilonem, et Prorex *Se-tchoân* 四川 versus ad euroaquilonem) tres genuflexiones et novem prostrationes facit. Qua cæremonia peracta, Calendaria reverenter accipit. Idem *Quæstor* dein ad omnes Magistratus civiles et militares mittit, qui eadem cæremonia juxta legem recipere debent (1). Reliqua exemplaria populo venduntur. Cum sub pœna legali privatis vetitum sit Calendaria annualia edere, si reperiatur exemplar sine sigillo aut falso sigillo munitum, ejus auctor inquiritur et plectitur (2). Ille, qui Calendarium falsificat, capitali pœna punitur; Qui vero Calendarium legale reimprimit, centum ictibus baculi et *Cangue* per duos menses infligitur.

PARAGRAPHUS III.

DE CYCLO SINICO.

10. Cyclus Sinicus 60 *Signa* continet, quæ ex combinatione *Tiên-kan* 天干 denorum *cœlestium Truncorum*, et *Ti-tche* 地支 duodeno-

(1) Hæc cæremonia ordinarie non observatur a Magistratibus inferioris orddinis.

(2) Per consuetudinem toleratur in Provincia *Fou-kien* 福建 calendarium annuale a privatis reimprimi.

rum *terrestrium Ramorum* efformantur. Illi deni *Trunci* quinque elementis materiæ et variis sitibus locorum adscribuntur : duodeni vero *Rami* præter quinque elementa et varios locorum situs, duodecim animalibus assignantur : uti in sequentibus tabulis patebit.

11. TABULA TIÊN-KAN 天干 TRUNCORUM.

Truncus.		Quinque elementa.		Quinque situs locorum.	
1. KIA	甲	MOU	木 Lignum.	TONG	東 Oriens.
2. Y	乙				
3. PING	丙	HO	火 Ignis.	NAN	南 Meridies.
4. TING	丁				
5. OU	戊	TÔU	土 Terra.	TCHONG	中 Centrum.
6. KI	己				
7. KENG	庚	KIN	金 Metallum.	SI	西 Occidens.
8. SIN	辛				
9. JEN	壬	CHOEI	水 Aqua.	PO	北 Septentrio.
10. KOEI	癸				

12. TABULA TI-TCHE 地支 RAMORUM.

Ramus.	Animalia.	Ramus.	Quinque elementa.	Ramus.	Octo situs locorum.
1. Tse 子	Chou 鼠 Mus.	寅	Mou 木 Lignum.	卯	Tong 東 Oriens.
2. Tchêou 丑	Nieou 牛 Bos.	卯		酉	Si 西 Occidens.
3. Yn 寅	Hou 虎 Tigris.	巳	Ho 火 Ignis.	午	Nan 南 Meridies.
4. Mao 卯	Toû 兎 Lepus.	午		子	Po 北 Septentrio.
5. Tchên 辰	Long 龍 Draco.	申	Kin 金 Metallum.	丑	Tong-po 東北 Euroaquilo.
6. Se 巳	Ché 蛇 Serpens.	酉		寅	
7. Ou 午	Ma 馬 Equus.	亥	Choei 水 Aqua.	辰	Tong-nan 東南 Euroauster.
8. Wei 未	Yang 羊 Ovis.	子		巳	
9. Chen 申	Heou 猴 Simius.	丑	Tôu 土 Terra.	未	Si-nan 西南 Hesperoauster.
10. Yeou 酉	Ki 鷄 Gallus.	未		申	
11. Siu 戌	Kiûen 犬 Canis.	辰		戌	Si-po 西北 Hesperoaquilo.
12. Hai 亥	Tchou 豬 Sus.	戌		亥	

13. Denis *Truncis* sexies, et duodenis *Ramis* quinquies singulis repetitis, sexaginta combinationes seu *Signa* efformantur : quæ non solum duodecim animalibus juxta suum cujuslibet *Ramum*, prout superius N. 12 dictum fuit, designantur, sed insuper quinque *elementis*, non habita *Truncorum* nec *Ramorum* ratione supra N. N. 11, 12 exposita, singula adscribuntur. Hæc juvat in tabula sequenti referre.

14. TABULA KIA-TSE 甲子 SIGNORUM CYCLI (1).

Signum cycli.	Mus.	Elementa.	Signum cycli.	Bos.	Elementa.	Signum cycli.	Tigris.	Elementa.	Signum yccli.	Lepus.	Elementa.	Signum cycli.	Draco.	Elementa.	Signum cycli.	Serpens.	Elementa.
1 甲子	鼠	金	2 乙丑	牛	金	3 丙寅	虎	火	4 丁卯	兎	火	5 戊辰	龍	木	6 己巳	蛇	木
13 丙子	鼠	水	14 丁丑	牛	水	15 戊寅	虎	土	16 己卯	兎	土	17 庚辰	龍	金	18 辛巳	蛇	金
25 戊子	鼠	火	26 己丑	牛	火	27 庚寅	虎	木	28 辛卯	兎	木	29 壬辰	龍	水	30 癸巳	蛇	水
37 庚子	鼠	土	38 辛丑	牛	土	39 壬寅	虎	金	40 癸卯	兎	金	41 甲辰	龍	火	42 乙巳	蛇	火
49 壬子	鼠	木	50 癸丑	牛	木	51 甲寅	虎	水	52 乙卯	兎	水	53 丙辰	龍	土	54 丁巳	蛇	土

(1) MODUS INVENIENDI SIGNUM SEXAGENARII CYCLI CUJUSLIBET ANNI SIVE ANTE SIVE POST CHRISTUM. Primus annus ante Æram vulgarem est sub signo cyclico 57mo, nempe *Keng-chen* 庚申, et primus annus Æræ vulgaris sub 58vo. Hinc:

1° Si quæras de anno ante Æram vulgarem, numero anni propositi adde 2: Si summa non attingat 60, ipsam subtrahe a 60, et differentia dabit signum cyclicum anni. Si vero summa excedat 59, ipsam divide per 60, residuum divisionis subtrahe a 60; et differentia dabit signum cyclicum. Ex. gr. de anno 43 a. C. Si numero anni 43 addas 2, summa erit 45; si 45 subtrahas e 60, differentia erit 15; ergo signum cyclicum anni 43 a. C. est 15^{um} nempe *Ou-yn* 戊寅. — Ex. gr. de anno 202 a. C. Si numero anni 202 addas 2, summa erit 204; si 204 dividas per 60, residuum divisionis erit 24; si 24 subtrahas e 60, differentia erit 36; ergo signum cyclicum anni 202 a. C. est 36^{um}, nempe *Ki-hai* 己亥.

2° Si quæras de anno Æræ vulgaris, a numero anni subtrahe 3; si differentia

TABULA KIA-TSE 甲子 SIGNORUM CYCLI.

Signum cycli.	Equus.	Elementa.	Signum cycli.	Ovis.	Elementa.	Signum cycli.	Simius.	Elementa.	Signum cycli.	Gallus.	Elementa.	Signum cycli.	Canis.	Elementa.	Signum cycli.	Sus.	Elementa.
7 庚午	馬	土	8 辛未	羊	土	9 壬申	猴	金	10 癸酉	鷄	金	11 甲戌	犬	火	12 乙亥	豬	火
19 壬午	馬	木	20 癸未	羊	木	21 甲申	猴	水	22 乙酉	鷄	水	23 丙戌	犬	土	24 丁亥	豬	土
31 甲午	馬	金	32 乙未	羊	金	33 丙申	猴	火	34 丁酉	鷄	火	35 戊戌	犬	木	36 己亥	豬	木
43 丙午	馬	水	44 丁未	羊	水	45 戊申	猴	土	46 己酉	鷄	土	47 庚戌	犬	金	48 辛亥	豬	金
55 戊午	馬	火	56 己未	羊	火	57 庚申	猴	木	58 辛酉	鷄	木	59 壬戌	犬	水	60 癸亥	豬	水

non attingat 60, ipsa dabit signum cyclicum anni. Si vero differentia excedat 59, ipsam divide per 60; et residuum divisionis dabit signum cyclicum. Si nullum sit residuum, signum cyclicum erit 60^{um}. Si quæratur de anno 2do p. C., huic numero adde 60, dein a summa subtrahe 3, et differentia dabit signum cyclicum. Ex. gr. de anno 62 p. C. si a numero anni 62 subtrahas 3, differentia erit 59, ergo signum cyclicum anni 62 p. C. est 59^{um}, nempe *Jen-siu* 壬戌. — Ex. gr. de anno 221 p. C. si a 221 subtrahas 3, differentia erit 218; si 218 dividas per 60, residuum erit 38; ergo signum cyclicum anni 221 p. C. est 38^{um}, nempe *Sin-tchêou* 辛丑. — Ex. gr. de anno 243 p. C. si a 243 subtrahas 3, differentia erit 240; si 240 dividas per 60, nullum erit residuum; ergo signum cyclicum anni 243 p. C. est 60^{um}, nempe *Koei-hai* 癸亥. — Ex. gr. de anno 2 p. C. si numero anni 2 addas 60, summa erit 62; si a 62 subtrahas 3, differentia erit 59; ergo signum cyclicum anni 2 p. C. est 59^{um}, nempe *Jen-siu* 壬戌.

15. Signis cyclicis designantur cum anni et menses, tum dies et horæ. Ex hoc venit illa denominatio *Pa-tse* 八字 *octo litteræ,* quæ vulgo adhibetur ad natale cujusvis tempus exprimendum, nempe quatuor signa cyclica, quæ annum, mensem, diem et horam indicant, qua quis natus est. Ex. gr. si quis natus est anno 9^no^ regni Imperatoris *Tao-koang* 道光, (1829), mense 12^mo^, die 9^na^, hora 9^na^ p. m., ejus *Pa-tse* 八字 *octo litteræ* sunt *Ki-tchêou* 己丑, *Ting-tchêou* 丁丑, *Ki-se* 己巳, *Kia-siu* 甲戌.



PARAGRAPHUS IV.

DE ANNO.

16. *Ta-nao* 大撓 Minister jussu sui Imperatoris *Hoang-ti* 黃帝, qui regnare cœpit anno 2697 a. C., cyclum sexagenarium confecit, et annus 61^us^ hujus Imperatoris Regni assignatus fuit primo signo cycli. Si computetur cyclus a primo anno hujus Imperatoris usque ad annum 1624 p. C., cyclus septuagesies bis evolutus fuit; ille 1624^us^ annus, quo incipit 73^a^ series cycli, primo signo cycli assignatur, quod ordine consequuntur sequentes anni. Cum signum cyclicum anni 1624^ti^, qui bissextilis est, ex primo *Ramo Tse* 子 compositum sit, sequitur omnes annos, quorum signa cyclica 1^mo^, 5^to^, et 9^no^ *Ramo,* nempe *Tse* 子, *Tchên* 辰, *Chen* 申 composita sunt, bissextos esse, excepto, juxta correctionem Gregorianam, ultimo cujuslibet seculi anno, cujus numerus non est per 4 accurate divisibilis; sic anni 1700^mus^, 1800^mus^, 1900^mus^, et 2100^mus^ bessexti non sunt, quamvis eorum signa cyclica ex *Ramis* dictis composita sint.

17. Cum duodeni *Rami,* qui sunt partes signorum cyclicorum, animalibus designentur (1), eo ipso singuli anni iisdem animalibus denominantur. Vulgo parentes, dum pueros suos de suæ ipsorumque nativitatis anno certos facere volunt, non anni cyclum, nec Imperatoris Regni annum, sed animal, quo ille annus designatur, dictitant, ut id facilius menti imprima-

(1) Vide supra N. N. 12. 14.

tur (1). Si fides eruditis criticis adhibenda sit, usus ille, quo anni duodenis animalibus per vices denominantur, initium habuit apud boreales populos, dein in Sinas fuit introductus, cum circa annum 48 p. C. fœdere pacis inter *Koang-ou-ti* 光武帝 Imperatorem dynastiæ *Han* 漢 et *Hou-han-hia* 呼韓邪 Regem Hunnorum pacto, Hunni cum Sinensibus in finitimis regionibus Provinciæ *Chan-si* 山西 sese commiscere cæpissent. Iidem eruditi critici, cum perspexissent dissertatores, qui illos duodenos *Ramos* in duas categorias parium et imparium dividendo, et illorum totidem symbolicorum animalium naturam ac figuram scrutando, rationes inquirere contenderunt, cur animal hoc et non aliud huic *Ramo* et non alteri adscriberetur, dissertatores, inquam, in varias ab invicem maxime discrepantes opiniones abire, et harum nullam quidquam verisimile aut rationi obvium præ se ferre, asseruerunt illa symbolica animalia arbitrario fuisse assumpta ad annos assignandos, nec ullam analogicam significationem cum illis duodenis *Ramis* habere.

PARAGRAPHUS V.

DE MENSE LUNARI.

18. Pervoluto 19 annorum spatio, luna, sol et terra inveniuntur in eadem relativa positione, et novilunium reincipit fere eadem hora et momento ac prius. In hoc 19 annorum spatio, 235 lunationes adnumerantur, quarum 7 sunt *intercalares*, 110 *Minores*, qui singuli 29 dies continent, et 125 *Majores*, qui singuli 30 dies complectuntur. Annus 12 menses continens dicitur *communis*, et 13 menses seu mensem *intercalarem* habens *Embolimaris* appellatur.

(1) Sinenses ætatis annos non a nativitatis die sed ab anno computant. Hinc si quis die ultima mensis 12^{mi} natus sit, die sequenti, nempe 1^a die 1^{mi} mensis sequentis anni, dicitur habere *Leang-soei* 兩歲 *duos annos*, quamvis vel ne uno quidem die completo in lucem susceptus fuerit. Unde sensus non est hunc duos annos completos habere, sed in duobus annis fuisse. Hæc computandi methodus ad calcem *Calendarii annualis* reperitur apposita.

19. Cum lunatio non idem spatium temporis percurrat, sed modo 29 dies et octo horas vel etiam minus, modo 29 dies et 19 horas vel etiam plus contineat, contingit 3 menses continuos esse *Majores*. Ille assignatur mensis 1us dies, intra cujus spatium, nempe a media nocte ad sequentem mediam, momentum novilunii incidit : Mensis *major* est, si a die sui novilunii ad diem sequentis novilunii exclusive 30 dies civiles (1) habeat, *minor* vero, si tantum 29 dies contineat. Hinc dies, cujus in horam 11am cum 59 minutis p. m. incidit novilunii momentum, assignatur 1us dies mensis, quamvis unum minutum novilunii habeat.

20. Singuli menses, excepto *intercalari*, uno duodenorum *Ramorum* designatur, eo ordine, ut mensis, cujus novilunium solstitium hiemale proxime præcedit, sibi primum *Ramum 'Tse* 子, et singuli cæteri menses unum ex reliquis *Ramis* per ordinem assumant, uti in sequenti tabula patet.

21. TABULA MENSIUM ASTRONOMICORUM RAMIS DENOMINATORUM.

I.	子月	Tse-yué	dum	sol	subit	Capricornium.
II.	丑月	Tchêou-yué	,,	,,	,,	Aquarium.
III.	寅月	Yn-yué	,,	,,	,,	Pisces.
IV.	卯月	Mao-yué	,,	,,	,,	Arietem.
V.	辰月	Tchên-yué	,,	,,	,,	Taurum.
VI.	巳月	Se-yué	,,	,,	,,	Geminos.
VII.	午月	Ou-yué	,,	,,	,,	Cancrum.
VIII.	未月	Wei-yué	,,	,,	,,	Leonem.
IX.	申月	Chen-yué	,,	,,	,,	Virginem.
X.	酉月	Yeou-yué	,,	,,	,,	Libram.
XI.	戌月	Siu-yué	,,	,,	,,	Scorpium.
XII.	亥月	Hai-yué	,,	,,	,,	Sagittarium.

22. Initium anni civilis arbitrio Imperatorum designatur. Sub Imperatore *Hoan-ti* 黃帝 (2697 a. C.) ac sub dynastia *Hia* 夏 (2205 a. C.) a IIIo mense astronomico *Yn-yuê* 寅月, sub dynastia *Chang* 商 (1766 a. C.) a IIo mense *Tchêou-yué* 丑月, et sub dynastia *Tcheou* 周 (1122 a. C.) a Io mense *Tse-yué* 子月 annus civilis incipiebat. Anno 221 a. C., quo

(1) Vide infra N. 41.

fundator dynastiæ *Tsîn* 秦 titulum Imperatoris assumpsit, anni initium XII° mensi astronomico *Hai-yué* 亥月 assignavit. Dynastia *Han* 漢, quæ anno 206 a. C. successit, præcedentem initii anni assignationem continuari reliquit usque ad annum 104 a. C., quo *Hiao-ou-ti* 孝武帝 quintus Imperator initium anni III° mensi astronomico *Yn-yué* 寅月 restituit: qui modus annum inchoandi ad præsens usque a sceptrum tenentibus adoptatus fuit, paucis, et nonnisi per breve tempus exceptis: videlicet 1° *Min-ti* 明帝 Imperator dynastiæ *Wei* 魏 anno 237 p. C. voluit annum a II° mense *Tchêou-yué* 丑月 incipere, sed ejus successor anno 239 annum a III° Mense *Yn-yué* 寅月 inchoandum restituit. 2° *Ou-heou* 武后 Usurpatrix throni dynastiæ *Tâng* 唐 anno 689 p. C. initium anni I° Mensi *Tse-yué* 子月 assignavit, sed *Tchong-tsong* 中宗 legitimus throni successor anno 700, nova hac assignatione rejecta, pristinam assumpsit. 3° *Sou-tsong* 肅宗 septimus ejusdem dynastiæ Imperator anno 761 annum a I° mense *Tse-yué* 子月 inchoandum renovavit, sed anno sequenti idem Imperator ad usum, qui pluribus jam seculis viguerat, rediit. Quando annus a mense astronomico III° *yn-yué* 寅月 inchoatur, hic mensis nuncupatur 1us anni civilis, et IVus *mao-yué* 卯月, 2us; Vus *tchen-yué* 辰月, 3us; VIus *se-yué* 巳月, 4us; et ita Ius *tse-yué* 子月, 11us; IIus *tchêou-yué* 丑月, 12us. At quando annus a mense astronomico XII° *hai-yué* 亥月 incipit, uti sub dynastia *Tsîn* 秦 et sub primo seculo dynastiæ *Han* 漢, in annalibus ille mensis astronomicus XIIus non scribitur 1us, sed 10us anni civilis; ita etiam Ius *tse-yué* 子月, IIus *tchêou-yué* 丑月, IIIus *yn-yué* 寅月 &c. nominatur 11us, 12us, 1us, &c. ac si annus a mense astronomico III° *yn-yué* 寅月 initium duceret.

23. Supra in N. 21 dictum fuit duodecim menses singulos uni *Ramorum* fixe designatos esse. Ut autem quisque mensis cyclico signo denominetur, unicuique *Ramorum* unus *Truncus* est adjungendus. Ille mensis, post cujus novilunium solstitium hiemale accidit, et qui, altero interposito, primum mensem anni primi Imperatoris *Hoang-ti* 黃帝 2697 a. C. præcessit, primo *Trunco Kia* 甲 erat assignatus. Igitur IIIus mensis artronomicus, qui erat primus illius anni civilis, erat tertio *Trunco Ping* 丙 designatus. Jam vero ille annus erat primo *Trunco Kia* 甲 denominatus (1). Cùm isthinc ad annum 1624 p. C. bis et septuagesies cyclus pervolutus

(1) Vide supra N. 16.

fuerit, consequenter hic annus eodem primo *Trunco Kia* 甲, et ejus primus mensis eodem tertio *Trunco Ping* 丙 designatur. Cognito primum mensem anni, qui primo *Trunco Kia* 甲 designatur, tertio *Trunco Ping* 丙 assignari, jam cognosci facile potest quis *Truncus* primo mensi cujusvis anni sit adscribendus, et cognito primi mensis *Trunco*, reliquorum mensium *Trunci* ex ordine consequuntur. Qua id facilius computetur, methodum his versiculis expressam juvat hic referre.

24. METHODUS VERSICULIS EXPRESSA, QUÆ TRUNCOS MENSIBUS ASSIGNAT.

甲己之年丙作首 Kia-ki-tse-nien-ping-tso-cheou,
乙庚之歲戊爲頭 Y-keng-tse-soei-ou-wei-têou,
丙辛便向庚寅起 Ping-sin-piên-hiang-keng-yn-kî,
丁壬壬寅順行流 Ting-jen-jen-yn-choen-hing-lieou,
惟有戊癸何處起 Wei-yeou-ou-koei-ho-tchôu-kî.
正月始從甲寅求 Tcheng-yué-che-tsong-kia-yn-kiêou.

25. Horum versiculorum explicatio brevius in sequenti tabula exhibetur.

26. EXPLICATIO METHODI, QUÆ TRUNCOS MENSIBUS ASSIGNAT.

In	annis	designatis	sub	Truncis	甲 vel 己,	Mensis	primus	est	sub	trunco	丙
,,	,,	,,	,,	,,	乙 ,, 庚,	,,	,,	,,	,,	,,	戊
,,	,,	,,	,,	,,	丙 ,, 辛,	,,	,,	,,	,,	,,	庚
,,	,,	,,	,,	,,	丁 ,, 壬,	,,	,,	,,	,,	,,	壬
,,	,,	,,	,,	,,	戊 ,, 癸,	,,	,,	,,	,,	,,	甲

27. Unde in annis, qui designantur signis cyclicis *Kia-tse* 甲子, *Kia-siu* 甲戌, *Kia-chen* 甲申, *Kia-ou* 甲午, *Kia-tchen* 甲辰, *Kia-yn* 甲寅, vel *Ki-se* 己巳, *Ki-mao* 己卯, *Ki-tchêou* 己丑, *Ki-hai* 己亥, *Ki-yeou* 己酉, *Ki-wei* 己未, primus mensis signo cyclico *Ping-yn* 丙寅, secundus *Ting-mao* 丁卯 designatur, et ita deinceps, juxta ordinem signorum cyclicorum, prout habetur supra in tabula N. 14.

PARAGRAPHUS VI.

DE INTERCALATIONE MENSIS.

28. In 19 annorum spatio sunt 7 anni embolimares, quorum quisque 13 lunares menses habet. Mensis embolimæus dicitur *Jen-yué* 閏月 *mensis ex residuis conflatus* (1). Illi 7 anni embolimares in serie 19 annorum sunt 3us, 6us, 9us, 11us, 14us, 17us, 19us. Systema his annis mensem embolimæum adjiciendi hactenus usurpatum habetur multiplex.

29. Primum systema : Occurrente anno, cui intercalatio adjicienda est, ultimus anni mensis duplicatur.

30. Secundum systema : Elapsis 33 vel 32 mensibus, intercalarium inseritur, eo ordine ut anno 3° mensis 9us duplicetur; 6°, 6us; 9°, 3us; 11°, 11us; 14°, 8us; 17°, 4us; 19°, 12us.

31. Tertium systema : Intercalatio dependet a numero dierum, qui anno præcedenti a solstitio hiemali ad finem mensis supersunt. Ex. gr. si hoc anno solstitium hiemale sit die 24 mensis 11mi, anno sequenti embolimari interjicitur mensis 6us; si vero ille 11us mensis fuerit *minor* seu 29 dierum, 5us inseritur. Si solstitium illud ante plenilunium contingat, dies residui computantur ad plenilunium. Si vero dies residui excedant 12, considerantur qui de duodecim supersunt.

32. Quartum systema : statuitur pro principio : 1° ut solstitium hiemale semper incidat in mensem 11um, solstitium æstivum in 5um, æquinoctium vernum in 2um, et æquinoctium autumnum in 8um : 2° ut anno embolimari is mensis lunaris duplicetur, per cujus spatium sol de uno zodiaci signo ad aliud non transit; Unde in mense intercalari habetur unica *Tsié-kî* 節氣 *articularis statio,* qua sol 15um gradum alicujus signi zodiaci ingreditur, et nunquam habetur *Tchong-kî* 中氣 *principalis statio,* quà sol 1um gradum alicujus signi zodiaci intrat (2); ex hoc fit ut mensis intercalationem præcedens habeat *principalem stationem* circa ultimum diem, et mensis eamdem subsequens habeat *stationem principalem* circa novilunium; 3° ut mensis 11us, 12us, et 1us, nunquam duplicetur, ex ratione,

---

(1) Mensis intercalatio fuit instituta ab Imperatore *Hoang-ti* 黃帝 circa annum 2637 a. C. (*Che-ki* 史記 t. 26).

(2) Vide infra N. 36.

quod spatium stationum solarium, quæ solstitium hiemale proxime præcedunt aut subsequuntur, cæteris brevius est.

33. Hoc ultimum systema in præsens a Tribunali Matheseos adoptatur. Series 19 annorum, in quorum spatio intercalarium septies recurrit, cyclo decennovennali *Numeri aurei* respondet, eo ordine ut 1[us] annus sit sub *Numero aureo* 10, 2[us] sub 11, 3[us] sub 12, et ita deinceps, 19[us] sub 9 : exinde omnes anni, qui sunt sub *Numero aureo* 12, 15, 18, 1, 4, 7, 9, sunt embolimares (1). Si tamen in his contingat, ut mense intercalato, solstitium hiemale ante 11[um] mensem incidat, intercalatio post 2[um] mensem anni subsequentis transfertur : ex statuto enim solstitium hiemale debet 11° mense incidere, et mensis 11[us], 12[us] et 1[us] nunquam duplicatur. Quamobrem annis 1794, 1813, 1889, 1908, 1927, 1946, 1965, 2003, qui *Numerum aureum* 9 habent, intercalatio non inseritur, sed in annum respective subsequentem rejicitur, qui est sub *Numero aureo* 10; et annus tertio succedens sub *Numero aureo* 12 remanet de more embolimaris.

34. Anno 18° Imperatoris *Kia-king* 嘉慶 (1813 p. C.) intercalatio mensis per inconsiderantiam Mathematicorum ab ultimo systemate recessit, mensem 8[um] duplicando : quamvis enim ille annus, qui erat sub *Numero aureo* 9, embolimaris esse deberet, et hic mensis solum *Tsié-ki* 節氣 *articularem stationem* haberet, tamen ex illa intercalatione factum est ut solstitium hiemale hujus anni in mensem 10[um], et æquinoctium vernum sequentis anni in mensem 1[um] incideret. Imperator *Kia-king* 嘉慶 de

---

(1) MODUS INVENIENDI NUMERUM AUREUM CUJUSLIBET ANNI SIVE ANTE SIVE POST CHRISTUM. Primus annus ante Æram vulgarem est sub Numero aureo 1, et primus annus Æræ vulgaris est sub 2. Hinc.

1° Si quæras de anno ante Æram vulgarem, a numero anni propositi subtrahe 2, differentiam divide per 19, residuum divisionis subtrahe a 19, et differentia erit Numerus aureus ipsius anni. Ex. gr. de anno 2634 a. C. si a numero 2634 subtrahas 2, differentia erit 2632; si 2632 dividas per 19, residuum divisionis erit 10; si 10 subtrahas a 19, differentia erit 9; ergo anno 2634 a. C. Numerus aureus est 9.

2° Si quæras de anno Æræ vulgaris, numerum anni propositi divide per 19, residuo divisionis adde 1, et summa erit Numerus aureus ipsius anni. Ex. gr. de anno 1884 p. C. si numerum 1884 dividas per 19, residuum divisionis erit 3; si numero 3 addas 1, summa erit 4; ergo anno 1884 p. C. Numerus aureus est 4.

hoc informatus jussit errorem corrigi, et mensem intercalari non 8^{um} hujus anni, sed 2^{um} anni sequentis, qui item unicam *articularem stationem* habebat : quo factum est ut solstitium hiemale in mensem 11^{um} et æquinoctium vernum in 2^{um} incideret.

35. Anno 5° Imperatoris *Choen-tche* 順治 (1648 p. C.) dum hic summam Sinarum teneret, *Yong-li* 永曆, Princeps Posthumus dynastiæ *Ming* 明 in hesperoaustralibus provinciis *Yun-nan* 雲南, *Koang-si* 廣西 et *Koei-tcheou* 貴州 regnabat. In Calendario annuali jussu Imperatoris publicato mensis 4^{us} erat intercalatus, in Calendario vero a Principe *Yong-li* 永曆 edito (anno 2° regni) intercalarium erat in 6^{to} mense. Item anno 8° ejusdem Imperatoris (1651) in hujus Calendario mensis 2^{us} fuit intercalatus, sed in Calendario Principis mensis 11^{us} anni præcedentis (1650, anno regni 4°) fuerat duplicatus. Historici illius temporis utrumque Calendarium sequuti sunt, prout acta ad alterutrum spectabant. Hoc notatum fuisse placuit, ne illa discrepantia lectori dicti ævi historiæ difficultatem confusionemve pareret.

PARAGRAPHUS VII.

DE 24 KI 氣 STATIONIBUS SIGNORUM ZODIACI.

36. Viginti quatuor *Kí* 氣 *stationes signorum Zodiaci* respondent diebus, quibus sol primum et decimumquintum cujusvis signi Zodiaci gradum ingreditur. Illa dicitur *Tchong-kí* 中氣 *Principalis statio,* quando sol ingreditur 1^{um} gradum signi, et *Tsié-kí* 節氣 *Articularis statio,* quando sol incipit percurrere 15^{um} signi gradum. In mense communi ordinarie sunt duæ *stationes :* raro sunt tres aut una. In mense Intercalari semper habetur unica *tsié-kí* 節氣 *articularis statio* (1).

37. Duodecim signa Zodiaci singula in 30 gradus divisa, omnibus annis solaribus fere in eosdem dies incidunt : et quidem *fere,* quia cum annus solaris numerum dierum non integrorum, sed 365 dies, 5 horas, 48 minuta

(1) Vide supra N. 32.

prima, 49 minuta secunda et plus contineat, et ideo annus bissextilis habendus sit, tempus ingressus solis in signa Zodiaci, singulis annis nonnihil variari necesse est. Unde dies, in quos sol, dum 1^{um} vel 15^{um} gradum signorum ingreditur, incidit, in tabula sequenti appositi, nonnisi sunt juxta approximativam supputationem, ita ut quandoque solis ingressus in diem ante vel post proximam incidat.

38. TABULA 24 KI 氣 STATIONUM SIGNORUM ZODIACI.

Mensis solaris.	Dies.	Statio solaris:		Incipit a gradu signorum zodiaci.	Nomina Sinica signorum zodiaci.	Vel.
Dec.	21	冬至	Hiemale solstitium.	1° Capri.	星紀宮	丑宮
Jan.	5	小寒	Modicum frigus.	15° ,,		
Jan.	20	大寒	Magnum frigus.	1° Aquarii.	元枵宮	子宮
Feb.	4	立春	Initium veris.	15° ,,		
Feb.	19	雨水	Pluviæ aqua.	1° Piscium.	娵訾宮	亥宮
Mar.	6	驚蟄	Commotio reptilium.	15° ,,		
Mar.	21	春分	Veris æquinoctium.	1° Arietis.	降婁宮	戌宮
Apr.	5	淸明	Suda claritas.	15° ,,		
Apr.	20	穀雨	Segetum pluvia.	1° Tauri.	大梁宮	酉宮
Mai.	6	立夏	Initium æstatis.	15° ,,		
Mai.	21	小滿	Parva repletio.	15° Geminorum.	實沈宮	申宮
Jun.	6	芒種	Operosa plantatio.	15° ,,		
Jun.	21	夏至	Æstatis solstitium.	1° Cancri.	鶉首宮	未宮
Jul.	7	小暑	Modicus calor.	15° ,,		
Jul.	23	大暑	Magnus calor.	1° Leonis.	鶉火宮	午宮
Aug.	8	立秋	Initium autumni.	15° ,,		
Aug.	23	處暑	Cessans calor.	1° Virginis.	鶉尾宮	巳宮
Sep.	8	白露	Alba ros.	15° ,,		
Sep.	23	秋分	Autumni æquinoctium.	1° Libræ.	壽星宮	辰宮
Oct.	8	寒露	Frigidus ros.	15° ,,		
Oct.	23	霜降	Nebulæ descensus.	1° Scorpii.	大火宮	卯宮
Nov.	7	立冬	Initium hiemis.	15° ,,		
Nov.	22	小雪	Parva nix.	1° Sagittarii.	析木宮	寅宮
Dec.	6	大雪	Magna nix.	15° ,,		

PARAGRAPHUS VIII.

DE DIE.

39. In anno civili communi adnumerantur 354 vel 355 dies; in embolimari vero non minus quam 383, et non plus quam 385 habentur dies. In anno legali, qui determinatur ad pœnam exilii injungendam, vel ad urgendam legis satisfactionem, qua intra id spatium non adimpleta, pœna infligitur, computantur 360 dies, ita ut dies, qui in mensibus *minoribus* desunt, debeant suppleri, et si interfuerit mensis intercalaris, detrahantur dies, qui 360 dies superant.

40. Lugubrium tempus præscribitur per menses, 3, 5, 9, 12, et 27 pro variis consanguinitatis aut affinitatis gradibus. Et hoc computari incipit a die obitus, vel a die, quo nuntium mortis allatum fuerit. Dies, qui in *minoribus* mensibus desunt, non supplentur, sed si mensis intercalaris interfuerit, nec computatur.

41. Dies incipere computabatur sub dynastia *Hia* 夏 (2205 a. C.) ab initio auroræ nempe hora 4ª matutina; sub initio dynastiæ *Chang* 商 (1766 a. C.) a meridie, dein a cantu galli nempe hora 2ª matutina; sub dynastia *Tcheou* 周 (1122 a. C.) et inde hactenus a media nocte.

42. Singuli dies signo cyclico designantnr. Et computando a tempore *Hoan-ti* 黄 帝, quo illa assignatio incepit, primus dies primi mensis anni 1624 p. C. signo cyclico *Ping-tchên* 丙 辰 designatur : hinc ex serie signorum unicuique diei suum adscribitur. Ut autem facilius cujusque diei signum inveniatur, in hac *Concordantia Calendarii* primo diei cujusvis mensis suum signum appositum reperitur.

43. Præterea singuli dies uno ex quinque *elementis ou-hing* 五 行 designantur, quæ sunt *Kin* 金 *metallum, Ho* 火 *ignis, Mou* 木 *lignum, Toû* 土 *terra,* et *Choei* 水 *aqua*. Illa assignatio sequitur signa cyclica, eo modo ut singuli duodeni dies uni elementorum adscribantur, uti videre est supra in N. N. 13. 14.

44. Denuo singuli dies designantur una ex 28 *Sieou* 宿 *constellationibus,* quæ habentur in tabula sequenti.

45. TABULA 28 CONSTELLATIONUM.

Septem orientales.	Septem boreales.	Septem occidentales.	Septem australes.
1. 角 Kio.	8. 斗 Teou.	15. 奎 Koêi.	22. 井 Tsing.
2. 亢 Kang.	9. 牛 Nieou.	16. 婁 Leou.	23. 鬼 Koei.
3. 氐 Ti.	10. 女 Nu.	17. 胃 Wei.	24. 柳 Lieôu.
4. 房 Fang.	11. 虛 Hiu.	18. 昴 Mao.	25. 星 Sing.
5. 心 Sin.	12. 危 Wei.	19. 畢 Pi.	26. 張 Tchang.
6. 尾 Wei.	13. 室 Che.	20. 觜 Tsoei.	27. 翼 Y.
7. 箕 Ki.	14. 壁 Pi.	21. 參 Tchên.	28. 軫 Tchen.

46. Singulæ constellationes cuique diei per vices adscribuntur. Primus dies primi mensis hujus anni 1884, qui erat dies lunæ hebdomadalis seu feria 2^{a}, occurrit 12^{ae} constellationi *Wei* 危. Hinc constellationes 1^{a} *Kïo* 角, 8^{a} *Teou* 斗, 15^{a} *Koêi* 奎, et 22^{a} *Tsing* 井 semper diem Jovis indicant, et 4^{a} *Fang* 房, 11^{a} *Hiu* 虛, 18^{a} *Mao* 昴 et 25^{a} *Sing* 星 semper diem dominicam designant.

47. Insuper singuli dies denominantur una ex duodenis *præsagis fortunæ notis,* quæ sunt *Kien* 建, *Tchôu* 除, *Man* 滿, *Pîng* 平, *Ting* 定, *Tche* 執, *Pŏ* 破, *Wei* 危, *Tchêng* 成, *Cheou* 收, *Kăi* 開, *Pi* 閉. Primus dies primi mensis hujus anni 1884 designatur *Kien* 建, quam denominationem cæteri dies per ordinem consequuntur. Sed dies, in quos incidunt ~~*Tchong-kî* 中氣 *stationes principales*,~~ ~~vel~~ *Tsiê-kî* 節氣 *stationes articulares,* eadem denominatione designantur ac dies præcedens.

PARAGRAPHUS IX.

DE HORA.

48. Una dies cum sua nocte antiquitus in 10 *Che* 時 *Tempora* dividebatur. Dein in medio dynastiæ *Han* 漢 circa annum 104 a. C. Astronomi diem in 12 *Che* 時 *Tempora* et in 100 *Kŏ* 刻 *quadrantes* diviserunt, *tempori*

primo et septimo cuique 10 *quadrantes*, et reliquis singulis 8 distribuentes. Illa 12 *tempora* duodenis *Tche* 支 *Ramis* designabantur. Primum *tempus* primo *Ramo* designatum, *Tse-che* 子 時 denominabatur, et 5 *quadrantibus* ante mediam noctem incipiebat, et totidem *quadrantibus* post eam terminabatur. Secundum *tempus* secundo *Ramo* designatum, *Tchêou-che* 丑 時 denominatum 8 *quadrantes* continebat : et ita deinceps. Septimum *tempus* septimo *Ramo* designatum, *Ou-che* 午 時 denominatum, 5 *quadrantibus* ante meridiem incipiebat, et totidem *quadrantibus* post eam terminabatur. Octavum *tempus Wei-che* 未 時 8 *quadrantes* continebat. Quemadmodum primæ 5 *quadrantes temporis* septimi ad matutinum pertinebant, ita primæ 5 *quadrantes* primi *temporis* ad diem præcedentem spectabant, cum dies a media nocte incipere computabatur.

49. Hic diem dividendi modus constanti in usu fuit usque ad annum 1670 p. C., quo Imperator *Kâng-hî* 康 熙 consilio Patris Ferdinandi Verbiest, *Nan-hoai-jen* 南 懷 仁 et spreta oppositione Mahometani *Yang-koang-sien* 楊 光 先, infensissimi Christianæ Religionis hostis, ideo et atrocissimi persecutoris Patris Joannis Adami Schall, *Tâng-jo-wang* 湯 若 望, Imperator, inquam, *Kâng-hi* 康 熙 decrevit in posterum adoptari methodum diem in 96 *quadrantes* distribuendi; et servata divisione diei in 12 *Che* 時 *tempora*, unumquodque *tempus* in duo *Siao-che* 小 時 *minora tempora* nempe horas divididi. Cujusvis *temporis* prima hora dicitur *Tchôu* 初 *initialis*, et secunda, *Tcheng* 正 *centralis*. *Quadrans* in 15 *Fen* 分 *minuta*, *minutum* in 60 *Miao* 秒 *minuta secunda*, et *minutum secundum* in 60 *Wei* 微 *minuta tertia* subdividitur. Si in fractionibus sit quid plus, *Kiâng* 强 *forte* (1), si vero quid minus, *Jo* 弱 *debile* additur. Cum tempus, et ejus duratio technicas indicationes habeat, hic juvat aliquot exempla referre.

50. TABULA INDICATIONIS TEMPORIS.

11ª hora p. m.	夜 子 初 初 刻	Yé-tse-tchôu-tchôu-kô.
11ª hora 1ᵐ p. m.	夜 子 初 初 刻 一 分	Yé-tse-tchôu-tchôu-kô-y-fen.
11ª hora ¼ p. m.	夜 子 初 一 刻	Yé-tse-tchôu-y-kô.

(1) Si quid sit plus, dicitur quandoque *Ling* 零 *Residuum*, vel *Yeou-ki* 有 奇 *Reliquum*.

11ª hora 35ᵐ p. m.	夜子初二刻五分	Yé-tse-tchŏu-ell-kô-ou-fen.
12ª hora noctis.	子正初刻	Tsé-tcheng-tchôu-kô.
12ª hora 10ᵐ a. m.	子正初刻十分	Tse-tcheng-tchôu-kô-che-fen.
12ª hora 20ᵐ a. m.	子正一刻五分	Tse-tcheng-y-kô-ou-fen.
12ª hora 55ᵐ a. m.	子正三刻十分	Tse-tcheng-san-kô-che-fen.
1ª hora a. m.	丑初初刻	Tchêou-tchôu-tchôu-kô.
2ª hora a. m.	丑正初刻	Tchêou-tcheng-tchôu-kô.
3ª hora a. m.	寅初初刻	Yn-tchôu-tchôu-kô.
4ª hora a. m.	寅正初刻	Yn-tcheng-tchôu-kô.
5ª hora a. m.	卯初初刻	Mao-tchôu-tchôu-kô.
6ª hora a. m.	卯正初刻	Mao-tcheng-tchôu-kô.
7ª hora a. m.	辰初初刻	Tchên-tchôu-tchôu-kô.
8ª hora a. m.	辰正初刻	Tchên-tcheng-tchôu-kô.
9ª hora a. m.	巳初初刻	Se-tchôu-tchôu-kô.
10ª hora a. m.	巳正初刻	Se-tcheng-tchôu-kô.
11ª hora a. m.	午初初刻	Ou-tchôu-tchôu-kô.
11ª hora ¼ a. m.	午初一刻	Ou-tchôu-y-kô.
12ª hora meridiei.	午正初刻	Ou-tcheng-tchôu-kô.
12ª hora ¾ p. m.	午正三刻	Ou-tcheng-san-kô.
1ª hora p. m.	未初初刻	Wei-tchôu-tchôu-kô.
2ª hora p. m.	未正初刻	Wei-tcheng-tchôu-kô.
3ª hora p. m.	申初初刻	Chen-tchôu-tchôu-kô.
4ª hora p. m.	申正初刻	Chen-tcheng-tchôu-kô.
5ª hora p. m.	酉初初刻	Yeou-tchôu-tchôu-kô.
6ª hora p. m.	酉正初刻	Yeou-tcheng-tchôu-kô.
7ª hora p. m.	戌初初刻	Siu-tchôu-tchôu-kô.
8ª hora p. m.	戌正初刻	Siu-tcheng-tchôu-kô.
9ª hora p. m.	亥初初刻	Hai-tchôu-tchôu-kô
10ª hora p. m.	亥正初刻	Hai-tcheng-tchôu-kô.

51. TABULA INDICATIONIS DURATIONIS TEMPORIS.

1 hora	四刻	Se-kô.
1 hora ¼	五刻	Ou-kô.
2 horæ	八刻	Pa-kô.
3 horæ ¾	十五刻	Che-ou-kô.

4 horæ, 56^{I}, 7^{II}, 8^{III}... 十九刻十一分七秒八微强 Che-kieou-kô, che-y-fen, tsi-miao, pa-wei, kiâng.

5 horæ, 43^{I}, 2^{II}, 1^{III} fere. 二十二刻十三分二秒一微弱 Ell-che-ell-kô, che-san-fen, ell-miao, y-wei, jo.

52. Ut singula *Che* 時 *Tempora,* quorum unumquodque uni ex duodenis *Tche* 支 *Ramis* est assignatum, signo cyclico designentur, eorum unicuique unus ex denis *Kan* 干 *Truncis* est adjungendus. Olim dum primùm signis cyclicis *tempora* designari cœperunt, primus *truncus Kia* 甲 adscriptus fuit primo *tempori* ejus diei, qui etiam primo *trunco Kia* 甲 designabatur. Isthinc, *truncis* per series revolutis, quintus *truncus Ou* 戊 est, qui in primum *tempus* primi diei primi mensis anni 1624 p. C. incidit. Et hic dies tertio *trunco Ping* 丙 erat designatus. Cognito primum *tempus* diei, qui tertio *trunco Ping* 丙 assignatur, quinto *trunco Ou* 戊 designari, jam quis *truncus* primo *tempori* cujusvis diei sit adscribendus, ex *trunco* ipsius diei cognosci potest. Qua id facilius cognoscatur, methodum his versiculis comprehensam hic juvat referre.

53. METHODUS VERSICULIS EXPRESSA, QUÆ TRUNCOS TEMPORIBUS ASSIGNAT.

甲 己 還 加 甲 Kia-ki, hoan-kia-kia.
乙 庚 丙 作 初 Y-keng, ping-tso-tchôu.
丙 辛 生 戊 子 Ping-sin, cheng-ou-tse.
丁 壬 庚 子 居 Ting-jen, keng-tse-kiu.
戊 癸 推 壬 子 Ou-koei, tchoûei-jen-tse.
時 元 定 不 虛 Che-yuen ting-po-hiu.

54. Horum versiculorum explicatio brevius in tabula sequenti exhibetur.

55. EXPLICATIO METHODI, QUÆ TRUNCOS TEMPORIBUS ASSIGNAT.

In diebus designatis sub *Truncis*	甲	vel	己,	primum tempus est sub *trunco*	甲
,, ,, ,, ,, ,,	乙	,,	庚	,, ,, ,, ,, ,,	丙
,, ,, ,, ,, ,,	丙	,,	辛	,, ,, ,, ,, ,,	戊
,, ,, ,, ,, ,,	丁	,,	壬	,, ,, ,, ,, ,,	庚
,, ,, ,, ,, ,,	戊	,,	癸	,, ,, ,, ,, ,,	壬

56. Unde in diebus, quorum signa cyclica sunt *Kia-tse* 甲子, *Kia-siu* 甲戌, *Kia-chen* 甲申, *Kia-ou* 甲午, *Kia-tchên* 甲辰, *Kia-yn* 甲寅, vel *Ki-se* 己巳, *Ki-mao* 己卯, *Ki-tchéou* 己丑, *Ki-hai* 己亥, *Ki-yeou* 己酉, *Ki-wei* 己未, primum *tempus* signo *Kia-tse* 甲子, secundum *tempus* signo *Y-tchéou* 乙丑 designatur : Et ita deinceps.

PARAGRAPHUS X.

DE FUNDATIONE PRÆSENTIS DYNASTIÆ.

57. Præsentis dynastiæ fundatorem historia recenset esse *Nol-ha-tche* 努爾哈赤, titulo posthumo *Tâi-tsou* 太祖. Hujus atavus cognomine *Ngai-sin-kio-lo* 愛新覺羅, nomine *Tou-tou-mong-te-mou* 都督孟特穆, titulo posthumo *Tchao-tsou* 肇祖 habitabat in Manchouria, in regione *Ho-toû-wo-lan* 赫圖阿蘭, ad radicem collium *Hou-lan-ha-ta* 虎欄哈達, ad orientem montium Chan-Alin (Tchâng-po-chan 長白山). Sua industra et virtute, devictis vicinarum regionum ducibus, principatu potitus est : Successorem instituit tertium primogeniti filium nomine *Tou-tou-man-fou* 都督滿福, titulo posthumo *Hing-tsou* 興祖. Hujus hæres nomine *Kio-tchâng-ngan* 覺昌安, titulo posthumo *King-tsou* 景祖, principatum extendit ad regionem *Ning-kou-tâ* 寧古塔, ubi sex urbes construxit, ab invicem 5 *ly* 里 vel 20 *ly* 里 distantes : Et brevi Tribuum ducibus, qui ad Rivum *Sou-kô-sou-hou* 蘇克蘇滸 dominabantur, profligatis, dominium 200 *ly* 里 sibi auxit.

58. Anno 1583 (anno 11° Imperatoris *Wan-li* 萬曆 dynastiæ *Ming* 明) cum Sinensis Gubernator provinciæ Moukden (nunc nomine *Cheng-king* 盛京), suadente *Ni-kân-wai-lan* 尼堪外蘭 duce Manchouricæ urbis *Tou-loen* 圖倫, aggrederetur Manchouricam civitatem *Kou-lé* 古勒, cujus Duci Princeps *King-tsou* 景祖 filiam fratris in matrimonium dederat, hic cum filio nomine *Tâ-kô-se* 塔克世, titulo posthumo *Hien-tsou* 顯祖, et delecta manu profectus est ad Duci succurrendum. Uterque, nempe pater et filius, per proditionem interfectus fuit.

59. Princeps *Nol-ha-tche* 努爾哈赤 seu *Tâi-tsou* 太祖 25 annos natus sui patris et avi necem vindicare decrevit, et ad id vires sibi compa-


2. Singulis annis communibus solaribus una ex his litteris per vices assignatur, quæ diem Dominicam totius anni indicat. Cum autem annus communis solaris 365 dies, idest 52 hebdomadas et 1 diem contineat, littera Dominicalis de anno in annum ab una littera ad aliam, ordine retrogrado, hanc septenarum litterarum seriem circuit : ex. gr. 1° anno est *b*, 2° anno erit *a*, et 3° anno *g* et sic deinceps.

3. Cum anni bissextiles, quorum Februario post 23[am] diem additur 1 dies *bissextus kalendas Martii* (4), diebus 366 idest 52 hebdomadis et 2 diebus constent, et littera *f*, quæ in Calendario perpetuo Ecclesiastico

---

Februarius anno communi 28 dies et bissextili 29 contineret : Insuper constitutum fuit ut October et December essent 31 dierum, loco Septembris et Novembris, qui 30 dies in posterum servarent, remanente eodem numero dierum in cæteris mensibus, uti a Julio Cæsare fuit statutum. Hæc dierum mensium distributio hactenus servatur. — Æra vulgaris ab anno 42 Imperii Cæsaris Octaviani Augusti initium ducit. Hoc vocabulum *Æra* aliqui derivant ex litteris *a. er. a.* olim usurpatis, quæ significabant *annus erat Augusti.*

(1) Vide infra N. 6.

(2) Hic cyclus dicitur solaris, non quia solem respicit, sed quia prima septenariæ seriei dies, quam Dominicam vocamus, apud Romanos dies *solis* appellabatur. Hujus cycli auctor fuit Sosigenes celebris astronomus Ægyptius, cujus opera Julius Cæsar ad reformandum Calendarium usus est.

(3) Vide infra N. 73.

(4) In Martyrologio dies bissextus et sextus kalendas Martii leguntur sub eodem numero lunæ. Sed in Calendario civili Bis VI. kalendas scribitur 24 Februarii; VI. kalendas, 25; pridie kalendas, 29.

diei 24^{ae} Februarii est assignata, diei subsequenti etiam serviat, littera Dominicalis a die 24° Februarii in aliam mutatur, in præcedentem regrediendo: Annis igitur bissextilibus geminæ litteræ Dominicales attribuuntur: Ex. gr. annus 1904, qui bissextilis erit, habebit litteras Dominicales *c* et *b*, uti infra in exemplo videre est.

4. EXEMPLUM.

Februar.	20. Sabbatum.	*b.*	X.	kalendas	Martii.
,,	21. DIES DOMINICA.	*c.*	IX.	kalendas	,,
,,	22. Feria 2^a.	*d.*	VIII.	kalendas	,,
,,	23. Feria 3^a.	*e.*	VII.	kalendas	,,
,,	24. Feria 4^a.	*f.*	Bis VI.	KALENDAS	,,
,,	25. Feria 5^a.	*f.*	VI.	kalendas	,,
,,	26. Feria 6^a.	*g.*	V.	kalendas	,,
,,	27. Sabbatum.	*a.*	IV.	kalendas	,,
,,	28. DIES DOMINICA.	*b.*	III.	kalendas	,,
,,	29. Feria 2^a.	*c.*	Pridie	kalendas	,,

5. Hinc annis bissextilibus prima littera Dominicalis diem Dominicam a principio anni usque ad 24 Februarii inclusive ostendit, secunda autem diem Dominicam a 25 Februarii usque ad finem anni indicat, et ideo sub hac secunda littera dies Paschalis reperitur, cum Pascha ex statuto Ecclesiæ nunquam ante 22 Martii celebretur. Littera igitur Dominicalis, quæ de anno bissextili quæritur, est secunda seu ea, sub qua dies Dominica Paschalis cadit.

6. Hæc litterarum Dominicalium ordinatio, qua cuique anno communi una littera, bissextili vero duæ assignantur, revoluto 28 annorum spatio, rursum redit. Sed post Calendarii correctionem ob bissextum in aliquibus annis secularibus seu centesimis omissum litteræ Dominicales post 28 annos jam non constanter redeunt eodem ordine. (Vide infra N. 50). Ut hæ Dominicales litteræ partes calculi agere possint, earum unicuique valorem numeri attribuimus, uti videre est in tabula sequenti, in qua singulæ characteribus numeralibus repræsentantur.

7. TABULA LITTERARUM DOMINICALIUM.

a	*b*	*c*	*d*	*e*	*f*	*g*
0	1	2	3	4	5	6

8. Anno 1° Æræ vulgaris cyclus solaris erat sub numero 10; ideo 1ª dies Dominica hujus anni contigit die 2ª Januarii sub littera Dominicali *b*; ex hac litteræ Dominicales sequentium annorum deducantur.

9. PRIMA FORMULA ALGEBRICA

AD INVENIENDAM LITTERAM DOMINICALEM ANTE CALENDARII CORRECTIONEM.

$$L = R\,[{}^{*}9 - R\,(A + I A : {}^{*}4) : {}^{*}7] : {}^{*}7$$

EXPLICATIO ABREVIATIONUM ET NUMERORUM METHODICORUM.

10. L = *Littera*, Dominicalis per characterem numeralem repræsentata (1).

11. *R* = *Residuum* divisionis, non habito ad integram quotientis partem respectu.

12. A = Numerus *anni*, de quo quæritur.

13. *I* = *Integra* quotientis pars, non habito ad divisionis residuum respectu.

14. Numerus methodicus *9 fundatur in eo quod primo Æræ vulgaris anno prima dies Dominica contigit sub littera Dominicali *b* (2); et littera Dominicalis anni præcedentis fuit *c*, cui valorem numeri 2 attribuimus (3); Hic numerus 2 auctus numero 7, nempe numero dierum unius hebdomadæ, fit 9, ut differentia ex subtractione proveniens sit semper positiva.

15. Numerus methodicus *4 fundatur in eo quod 4us quisque annus ante Calendarii correctionem semper bissextus erat.

16. Numerus methodicus *7 fundatur in eo quod hebdomada 7 dies continet.

N. B. 1°. Numeri methodici, asterisco * ad sinistram adjecto, indicantur.

2°. Numeri methodici intelliguntur hi numeri in formula adhibiti uti methodi bases, et pro cujuslibet anni calculo invariabiles. In horum explicatione solum breviter innuitur ratio, ne hæc Appendix voluminosa evadat.

(1) Vide supra N. 7.

(2) Vide supra N. 8.

(3) Vide supra. N. 7.

ARITHMETICA OPERATIO

PRIMÆ FORMULÆ ALGEBRICÆ.

EX. GR. DE ANNO 1368.

17. I. Numerum anni, cujus litteram Dominicalem quæris, divide per *4, et integram quotientis partem adnota per *h*, residuum vero divisionis rejice.

$$\text{Ex. gr. } {}^{a}1368 : {}^{*}4 = \overset{h}{342} + (0 : {}^{*}4)$$

II. Numero anni adde integram quotientis partem *h*, et totum adnota per *j*.

$$\text{Ex. gr. } {}^{a}1368 + \overset{h}{342} = \overset{j}{1710}$$

III. Totum *j* divide per *7, et residuum divisionis adnota per *k*, integram vero quotientis partem rejice.

$$\text{Ex. gr. } \overset{j}{1710} : {}^{*}7 = (244) + \overset{k}{2} : {}^{*}7$$

IV. Ex numero *9 subtrahe residuum divisionis *k*, et differentiam adnota per *l*.

$$\text{Ex. gr. } {}^{*}9 - \overset{k}{2} = \overset{l}{7}$$

V. Differentiam *l* divide per *7, et residuum divisionis adnota per *m*, integram vero quotientis partem rejice.

$$\text{Ex. gr. } \overset{l}{7} : {}^{*}7 = (1) + \overset{m}{0} : {}^{*}7$$

VI. Residuum divisionis *m* est numerus indicans litteram Dominicalem, de qua quæris.

Porro $\overset{m}{0}$ indicat litteram Dominicalem *a*.

Ergo anno 1368 littera Dominicalis est *a*.

N. B. 1°. Numerus anni, de quo quæritur, littera *a* ad sinistram adjecta, indicatur.

2°. Numerus sive integræ partis quotientis, sive residui divisionis, e calculo rejiciendus parenthesi includitur.

18. I. EXEMPLUM.

Quæritur littera Dominicalis anni 1368.

I. $^{a}1368 : {}^{*}4 = \overset{h}{342} + (0 : {}^{*}4)$

II. $^{a}1368 + \overset{h}{342} = \overset{j}{1710}$

III. $\overset{j}{1710} : {}^{*}7 = (244) + \overset{k}{2} : {}^{*}7$

IV. ${}^{*}9 - \overset{k}{2} = \overset{l}{7}$

V. $\overset{l}{7} : {}^{*}7 = (1) + \overset{m}{0} : {}^{*}7$

VI. $\overset{m}{0}$ indicat litt. Domin. *a*

Anno 1368 littera Dominicalis est *a*.

19. II. EXEMPLUM.

Quæritur littera Dominicalis anni 1000.

I. $^{a}1000 : {}^{*}4 = \overset{h}{250} + (0 : {}^{*}4)$

II. $^{a}1000 + \overset{h}{250} = \overset{j}{1250}$

III. $\overset{j}{1250} : {}^{*}7 = (178) + \overset{k}{4} : {}^{*}7$

IV. ${}^{*}9 - \overset{k}{4} = \overset{l}{5}$

V. $\overset{l}{5} : {}^{*}7 = (0) + \overset{m}{5} : {}^{*}7$

VI. $\overset{m}{5}$ indicat litt. Domin. *f*

Anno 1000 littera Dominicalis est *f*.

20. III. EXEMPLUM.

Quæritur littera Dominicalis anni 98.

I. $\,^{\bullet}98:{}^{*}4 = \overset{h}{24} + (2:{}^{*}4)$

II. $\,^{\bullet}98 + \overset{h}{24} = \overset{j}{122}$

III. $\overset{j}{122}:{}^{*}7 = (17) + \overset{k}{3}:{}^{*}7$

IV. ${}^{*}9 - \overset{k}{3} = \overset{l}{6}$

V. $\overset{l}{6}:{}^{*}7 = (0) + \overset{m}{6}:{}^{*}7$

VI. $\overset{m}{6}$ indicat litt. Domin. *g*

Anno 98 littera Dominicalis est *g*.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE EPACTIS

ANTE CALENDARII CORRECTIONEM.

21. Juxta Calendarium Julianum lunatio media putabatur constare 29 diebus, 12 horis, 44 minutis primis, 25 minutis secundis, et circiter 32 minutis tertiis, ($29^{d}\ 12^{h}\ 44^{I}\ 25^{II}\ 32^{III}$). Postquam 235 lunationes, quas unus cyclus decennovennalis Numeri aurei (1) continet, pervolutæ fuerint, novilunia eodem ordine redeunt. 235 lunationes, quæ 19 annorum tropicorum spatio respondent, in 19 annos lunares distribuuntur eo modo, ut

(1) Cyclus decennovennalis dicitur lunaris, quia eo pervoluto, phases et eclipses lunæ eodem fere ordine redeunt. Dicitur etiam Numerus aureus, quia Athenis ob ingeniosam ejus inventionem characteribus aureis inscribebatur. Hujus auctor fuit Meton celebris astronomus Atheniensis anno 433 a. C.

7 anni, nempe (si supponatur primus annus lunaris cum solari simul inchoare), 3^{us}, 6^{us}, 9^{us}, 11^{us}, 14^{us}, 17^{us}, 19^{us}, quique habeant 13 menses lunares, cæteri vero 12 anni quique solum 12 menses servent. Annus lunaris 13 mensium dicitur embolimaris, ideoque 13^{us} mensis embolimæus vel intercalaris vocatur : annus vero lunaris 12 mensium communis appellatur.

22. In spatio 19 annorum tropicorum, quorum singuli 365 diebus, plus 6 horis, seu 1 quarta diei parte putabantur constare, continentur 6935 dies, plus 114 horæ seu 4 dies cum 18 horis. Hi 6935 dies in 235 lunares menses eo modo partiuntur, ut in anno lunari tum embolimari tum communi 12 menses sint alternatim dierum 29 vel 30 : ex 7 tamen mensibus embolimæis, 6 habeant 30 dies, 7^{us} vero, qui est in ultimo cycli decennovennalis anno, solum 29 dies contineat.

23. Cum, propter quod lunatio 29 dies et 12 horas continet, menses lunares sint alternatim dierum 29 vel 30, illi 6 embolimæi menses per se etiam essent alternatim 29 vel 30 dierum, nempe 3 menses 30 dierum et alii 3 menses 29 dierum. Sed quia lunatio præter 29 dies et 12 horas, continet horæ fractionem, nempe 44 minuta prima, 25 minuta secunda, et circiter 32 minuta tertia (44^{I} 25^{II} 32^{III}) : hæc fractio horæ per 235 lunationes congesta efformat 174 horas : præterea quia septimus mensis embolimæus habet solum 29 dies, supersunt adhuc 12 horæ : hæ 12 horæ et illæ 174 horæ efficiunt 186 horas : ex his 186 horis desumuntur 72 horæ, quibus 3 dies efformati, illis 6 mensibus embolimæis distribuuntur; ideo illi 6 menses embolimæi omnes sunt 30 dierum.

24. Reliquæ 114 horæ, quæ ex dictis 186 horis supersunt, efficiunt 4 dies plus 18 horas. Hi 4 dies distribuuntur mensibus lunaribus, qui, anno bissextili occurrente, bissextum diem Kalendas Martii includunt. Unde hi menses anno bissextil 1 diem plus continent. Hæ vero residuæ 18 horæ, seu 3 quartæ partes diei, anno sequenti, 6 horis, seu 1 quarta diei parte, auctæ efficient 1 diem bissextum.

25. Cum igitur primus cyclus decennovennalis, 4 diebus bissextis insertis, 18 horas sequenti cyclo relinquat, hic sequens cyclus, qui per se quoque illas 114 horas continet, habebit 132 horas, quæ 5 dies plus 12 horas constituunt : Hic igitur sequens cyclus decennovennalis habebit 5 bissextos dies et cyclo tertio 12 horas transmittet : Pari ratione hic tertius cyclus, qui suas quoque 114 horas continet, habebit 126 horas, quæ 5 dies plus 6 horas efformant : tertius ergo cyclus habebit etiam 5 dies bissextos, et quarto cyclo 6 horas derelinquet : item hic quartus cyclus, qui suas

etiam 114 horas continet, habebit 120 horas, quæ 5 dies absque residuo efformant : quartus igitur cyclus habebit etiam 5 dies bissextos. Hinc ex quatuor cyclis decennovennalibus, qui 76 annos continent, primus cyclus habet 4 dies bissextos, cæteri tres cycli quique 5 dies bissextos continent : Ideoque quaternis quibusque cyclis, nempe 76 annis, pervolutis, idem ordo bissextilium annorum redit. Quo vero ordine anni bissextiles in cyclo decennovennali adjiciantur, clarius in sequenti tabula exhibetur.

26. TABULA ANNORUM BISSEXTILIUM
IN CYCLO DECENNOVENNALI.

	Annus bissextus.					Horæ cyclo sequenti relinquendæ.
In cyclo 1°	0	4us	8us	12us	16us	18.
,, ,, 2°	1us	5us	9us	13us	17us	12.
,, ,, 3°	2us	6us	10us	14us	18us	6.
,, ,, 4°	3us	7us	11us	15us	19us	0.

27. Cum annus lunaris communis, qui 6 lunationibus 29 dierum, et 6 aliis 30 dierum constat, 354 dies contineat, 11 diebus brevior est, quam annus solaris communis 365 dierum, ideoque primum novilunium anni, de anno in annum 11 diebus prægreditur, ita ut anno subsequenti 22 diebus, et denuo sequenti anno 33 diebus prius, quam primo anno, contingat. Ex. gr. si primo anno 1us mensis lunaris incipit die 1° Januarii, anno sequenti, die 21° Decembris anni præcedentis, et anno tertio, die 10° Decembris præteriti incipiet.

28. Quando numerus dierum per 11 successive adauctarum superat 29, inseritur mensis embolimæus. Ut facilius notescat, quibus annis menses embolimæi inserendi sint, et quanam mensis solaris die initium 1mi mensis lunaris incidat, cyclus novenidenarum Epactarum confectus est, quæ cyclo decennovennali Aurei numeri respondent. Epactæ, quæ etymologice *ad-augere* sonant, per continuum 11 dierum augmentum progrediuntur, et quando numeri aucti fuerint supra 29 (id est, quando novilunium jam 30 vel plus diebus initium anni solaris antecesserit), rejiciuntur 30, qui mensem embolimæum constituunt, et residuus numerus erit Epacta. Illa tamen

Epacta, quæ ultimo decennovennalis cycli anno contingit, seu quæ Aureo numero 19 respondet, per 12 dies progreditur, ut hujus anni mensis embolimæus sit 29 dierum (vide supra N. 22). Cum igitur hi anni sint embolimares, quorum Epactæ, si 11 diebus pergant augeri, numerum 29 superant, omnes Epactæ, quæ numerum 18 excedunt, annos embolimares denotant. Quoniam quo majores sunt Epactæ, eo pluribus diebus annus lunaris ante solarem incipit, Epacta ætatem lunæ in initio anni solaris indicat, seu numerum dierum exhibet, quos 1us mensis lunaris percucurrerit in Decembri præcedenti. Ex. gr. anno, cujus Epacta est 11, 1um novilunium anni incidit die 21° Decembris anni præcedentis, ideoque 1us mensis lunaris habet 11 dies, antequam annus solaris incipiat. Ante Calendarii correctionem Epactæ in usu non erant nisi 19, et elapsis 19 annis, eodem ordine redibant, ideoque Aureis numeris constanter respondebant: Et Epacta * respondebat Aureo numero 3, quia circa sexti seculi medium, anno, quo Aurei numeri in Calendario apponi inceperunt ad novilunia mensium indicanda, nivilunium 1mi mensis 1° die Januarii incidebat, et Aureus numerus erat 3. Ideoque Annus lunaris sub Epacta * (quæ locum tenet 0 vel 30) incipit cum anno solari, cæteri anni Decembri præcedenti inchoant. Annus lunaris sub Epacta 19 terminatur cum anno solari, cæteri anni ante finem Decembris complentur, uti videre est in Tabula N. 30.

29. Mensis lunaris pertinere censetur ad eum mensem solarem, in quo finit, non vero in quo incipit, juxta illud antiquum axioma « *In quo completur, mensi detur :* » Ex. gr. mensis lunaris die 21° Decembris inchoans ad Januarium subsequentis anni pertinet. Mensis embolimæus est secunda lunatio in uno mense solari, seu est ea, quæ completur in eodem mense solari ac lunatio præcedens : Ex. gr. sub Epacta 22 lunatio, quæ die 2° Octobris incipiens, die 30° ejusdem mensis finit (vide infra N. 32.), est mensis embolimæus (1). Hæ embolimææ lunationes variis mensibus solaribus inseruntur, prout Epactæ postulant : Inter has 7 embolimæas lunationes, 3 sunt plenæ, aliæ 4 cavæ (2), uti videre est infra in N. 34.

---

(1) Mensis embolimæus dicitur 13us (supra in N. 21), non quidem mensium ordine, sed numero, quia in annis embolimaribus habetur 1 lunatio plus, præter 6 plenas, et totidem cavas.

(2) Dictum est (supra in N. 22) 6 menses embolimæos esse 30 dierum, et 7um esse 29 dierum, quia inter 7 lunationes, quæ in annis embolimaribus supperadduntur mensibus 6 plenis et totidem cavis, sunt 6 plenæ, et 7a cava.

30. TABULA AUREORUM NUMERORUM, EPACTARUM, MENSIUM EMBOLIMÆORUM, INITII ET FINIS ANNORUM LUNARIUM ANTE CALENDARII CORRECTIONEM.

Aureus numerus.	Epacta.	Annus lunaris incipit.	Mensis embolimæus a die .... ad diem inclusive.	Annus lunaris completur inclusive.
3	*	1 Januarii.	....	20 Decembris.
4	11	21 { Decembris praecedentis.	....	9 ,,
5	**22**	10 ,,	a 2 ad 30 Octobr.	28 ,,
6	3	29 ,,	....	17 ,,
7	14	18 ,,	....	6 ,,
8	**25**	7 ,,	a 2 ad 31 Julii.	25 ,,
9	6	26 ,,	....	14 ,,
10	17	15 ,,	....	3 ,,
11	**28**	4 ,,	a 2 ad 30 Aprilis.	22 ,,
12	9	23 ,,	....	11 ,,
13	**20**	12 ,,	a 2 ad 30 Novembr.	30 ,,
14	1	31 ,,	....	19 ,,
15	12	20 ,,	....	8 ,,
16	**23**	9 ,,	a 2 ad 31 August.	27 ,,
17	4	28 ,,	....	16 ,,
18	15	17 ,,	....	5 ,,
19	**26**	6 ,,	a 2 ad 30 Junii.	23 ,,
1	8	24 ,,	....	12 ,,
2	**19**	13 ,,	a 2 ad 31 Decembr.	31 ,,

31. In hac tabula numeri majusculi annos embolimares indicant : Epacta 26 ad sequentem 8 habet progressum 12 dierum, quia Aureo numero 19 respondet, uti supra N. 28 dictum fuit. In antiquo Ecclesiæ Calendario apponebantur non Epactæ, sed Aurei numeri : Quoniam vero Epactæ Aureis numeris constanter respondebant, in sequenti tabula antiqui Calendarii loco Aureorum numerorum Epactæ apponuntur, ut in quo Calendarium antiquum ab eo reformato circa assignationem noviluniorum differat, uno intuitu videri queat. In hac tabula (N. 32) in pluribus mensibus omittitur 1 dies inter Epactas 28 et 26, 25 et 23, 22 et 20 : additur autem 1 dies inter Epactas 26 et 25. Hoc fit ut lunatio, quæ omissionem includit, sit 29 dierum : quæ vero additionem cum una omissione includit, sit 30 dierum; quæ tandem additionem cum bina omissione includit, sit 29 dierum.

32. TABULA EPACTARUM TOTIUS ANNI ANTE CALENDARII CORRECTIONEM.

EPACTÆ.

Dies.	Jan.	Feb.	Mar.	Apr.	Mai.	Jun.	Jul.	Aug.	Sep.	Oct.	Nov.	Dec.
1	*	......	*	......	28	......	26	25	23	23	......	20
2	......	28	......	28	......	26	25	23	22	22	20	19
3	28	26	28	......	26	25	......	22	......	20	19	......
4	......	25	......	26	25	23	23	......	20	19	......	17
5	26	......	26	25	......	22	22	20	19	......	17	......
6	25	23	25	23	23	......	......	19	......	17	......	15
7	......	22	......	22	22	20	20	......	17	......	15	14
8	23	......	23	......	......	19	19	17	......	15	14	......
9	22	20	22	20	20	......	......	......	15	14	......	12
10	......	19	......	19	19	17	17	15	14	......	12	11
11	20	......	20	......	......	......	......	14	......	12	11	......
12	19	17	19	17	17	15	15	......	12	11	......	9
13	......	......	......	......	......	14	14	12	11	......	9	8
14	17	15	17	15	15	......	......	11	......	9	8	......
15	......	14	......	14	14	12	12	......	9	8	......	6
16	15	......	15	......	......	11	11	9	8	......	6	......
17	14	12	14	12	12	......	......	8	......	6	......	4
18	......	11	......	11	11	9	9	......	6	......	4	3
19	12	......	12	......	......	8	8	6	......	4	3	......
20	11	9	11	9	9	......	......	......	4	3	......	1
21	......	8	......	8	8	6	6	4	3	......	1	*
22	9	......	9	......	......	......	......	3	......	1	*	......
23	8	6	8	6	6	4	4	......	1	*	......	28
24	......	......	......	......	......	3	3	1	*	......	28	26
25	6	4	6	4	4	......	......	*	......	28	26	......
26	......	3	......	3	3	1	1	......	28	26	......	25
27	4	......	4	......	......	*	*	28	26	......	25	......
28	3	1	3	1	1	......	......	26	......	25	......	23
29	......	o	......	*	*	28	28	......	25	......	23	22
30	1	o	1	......	......	......	26	25	......	23	22	......
31	*	o	*	o	28	o	......	......	o	22	o	20

33. In tabula præcedenti (N. 32) omnes Epactæ diebus mensium appositæ novilunium iis diebus incidere indicant. Ex. gr. anno, cujus Epacta est *, die 1ª, 31ª Januarii, 1ª, 31ª Martii, 29ª Aprilis etc. novilunia contingunt : ita de cæteris. Plures habentur dies, quibus Epactæ non sunt appositæ, quia iis novilunia nunquam contingere supponebantur. Quot sint dies cujusvis lunationis in quovis mense solari sub diversis Epactis, et cuinam mensi solari in annis embolimaribus sub diversis Epactis binæ lunationes attribuantur, in tabula sequenti clare exhibetur.

34. TABULA NUMERORUM DIERUM CUJUSVIS LUNATIONIS IN QUOVIS MENSE SOLARI SUB DIVERSIS EPACTIS ANTE CALENDARII CORRECTIONEM.

Epacta	*	28	26	25	23	22	20	19	17	15	14	12	11	9	8	6	4	3	1
In Jan.	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30
In Feb.	29	30	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29
In Mar.	30	29	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30
In Apr.	29	30 / 29	30	30	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29
In Mai.	30	30	29	29	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30
In Jun.	29	29	30 / 29	30	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29
In Jul.	30	30	29	29 / 30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30
In Aug.	29	29	29	29	29 / 30	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	28	29	29
In Sep.	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30
In Oct.	29	29	29	29	29	30 / 29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29
In Nov.	30	30	30	30	30	30	30 / 29	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30	30
In Dec.	29	29	29	29	29	29	30	29 / 30	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29	29

Numerus dierum lunationis.

35. In annis communibus lunationes constanter alternatim sunt 30 et 29 dierum, id est, in mensibus imparibus, Januario, Martio etc. finientes sunt 30 dierum, et in paribus, Februario, Aprili etc. finientes sunt 29 dierum. At in annis embolimaribus non modica habetur divagatio, uti videre est supra in tabula N. 34 (1).

36. SECUNDA FORMULA ALGEBRICA.

AD INVENIENDAM EPACTAM ANTE CALENDARII CORRECTIONEM.

$$E = R[{}^*11 \times ({}^*1 + R\,A:{}^*19) - {}^*3]:{}^*30$$

EXPLICATIO ABREVIATIONUM ET NUMERORUM METHODICORUM.

37. E. = Epacta.

38. *R*. (Vide supra N. 11).

39. A. (Vide supra N. 12).

40. Numerus methodicus *11 fundatur in eo quod annus solaris communis annum lunarem communem 11 diebus excedit.

41. Numerus methodicus *1 fundatur in eo quod cyclus decennovennalis Aurei numeri prius 1 anno incepit, quam Æra Christiana; hujus enim 1^{us} annus erat sub Aureo numero 2. Hinc ad cognoscendum Aureum numerum anni, de quo quæris, numero anni adde unitatem 1 : et totam summam inde conflatam divide per 19; quod superest, erit Aureus numerus ipsius anni. Si nihil superest, erit Aureus numerus 19. Idem obtinere potes, si numerum anni per 19 dividas, dein residuo divisionis unitatem 1 addas; summa erit Aureus numerus ipsius anni : si nihil superest, erit Aureus numerus 1.

42. Numerus methodicus *19 fundatur in eo quod cyclus Aurei numeri continet 19 annos.

---

(1) Post Calendarii correctionem in annis embolimaribus divagatio circa numerum dierum in serie lunationum modica habetur : lunatio embolimæa sub Epacta 29 habetur in Martio; sub 28, in Aprili; sub 27, in Maio; sub 26, in Junio; sub XXV, 25, et 24, in Julio; sub 23, in Augusto; sub 22, in Septembri; sub 21, in Octobri; sub 20, in Novembri; sub 19, in Decembri; sub 18, concurrente Aureo numero 19, item in Decembri (vide infra N. 73).

43. Numerus methodicus *3 fundatur in eo quod Epacta 1[mi] anni Æræ Christianæ 3 diebus posterior erat, quàm ea quæ esset juxta Aureum numerum illius anni. Nam Aureus numerus illo anno erat 2, et si (ratione excessus dierum anni solaris communis supra annum lunarem communem) pro unaquaque Aurei numeri unitate, 11 dies adderentur, Epacta dicti anni esset 22. Porro Epacta illius anni erat 19, et 3 unitatibus minor quam 22 : ex ea igitur Epacta, quæ ratione Aurei numeri esset, 3 unitates subtrahendæ sunt, ut vera Epacta obtineatur.

44. Numerus methodicus *30 fundatur in eo quod series Epactarum ad numerum 30 extendit.

ARITHMETICA OPERATIO SECUNDÆ FORMULÆ ALGEBRICÆ.

EX. GR. DE ANNO 1368.

45. I. Numerum anni, de quo quæris, divide per *19, et residuum divisionis adnota per *h*, integram vero quotientis partem rejice.

$$\text{Ex. gr. } {}^{a}1368{:}{}^{*}19 = (72) + \overset{h}{0}{:}{}^{*}19$$

II. Residuo divisionis *h* adde *1, et totum adnota per *j*.

$$\text{Ex. gr. } \overset{h}{0} + {}^{*}1 = \overset{j}{1}$$

III. Totum *j* multiplica per *11, et productum adnota per *k*.

$$\text{Ex. gr. } \overset{j}{1} \times {}^{*}11 = \overset{k}{11}$$

IV. Ex producto *k* subtrahe *3, et differentiam adnota per *l*.

$$\text{Ex. gr. } \overset{k}{11} — {}^{*}3 = \overset{l}{8}$$

V. Differentiam *l* divide per *30, et residuum divisionis adnota per *m*, integram vero quotientis partem rejice.

$$\text{Ex. gr. } \overset{l}{8}{:}{}^{*}30 = (0) + \overset{m}{8}{:}{}^{*}30$$

VI. Residuum *m* est Epacta anni de quo quæris.

$$\text{Ex. gr. } \overset{m}{8} \text{ est Epacta.}$$

Ergo Epacta anni 1368 est 8.

46. I. EXEMPLUM.

Quæritur Epacta anni 1368.

I. $^{\bullet}1368 : {}^{*}19 = (72) + \overset{h}{0} : {}^{*}19$

II. $\overset{h}{0} + {}^{*}1 = \overset{j}{1}$

III. $\overset{j}{1} \times {}^{*}11 = \overset{k}{11}$

IV. $\overset{k}{11} - {}^{*}3 = \overset{l}{8}$

V. $\overset{l}{8} : {}^{*}30 = (0) + \overset{m}{8} : {}^{*}30$

VI. $\overset{m}{8}$ est Epacta.

Anno 1368 Epacta est 8.

47. II. EXEMPLUM.

Quæritur Epacta anni 1000.

I. $^{\bullet}1000 : {}^{*}19 = (52) + \overset{h}{12} : {}^{*}19$

II. $\overset{h}{12} + {}^{*}1 = \overset{j}{13}$

III. $\overset{j}{13} + {}^{*}11 = \overset{k}{143}$

IV. $\overset{k}{143} - {}^{*}3 = \overset{l}{140}$

V. $\overset{l}{140} : {}^{*}30 = (4) + \overset{m}{20} : {}^{*}30$

VI. $\overset{m}{20}$ est Epacta.

Anno 1000 Epacta est 20.

48. III. EXEMPLUM.

Quæritur Epacta anni 98.

I.	$^{a}98{:}^{*}19 = (5) + \overset{h}{3}{:}^{*}19$	
II.	$\overset{h}{3} + {}^{*}1 = \overset{j}{4}$	
III.	$\overset{j}{4} \times {}^{*}11 = \overset{k}{44}$	
IV.	$\overset{k}{44} - {}^{*}3 = \overset{l}{41}$	
V.	$\overset{l}{41}{:}^{*}30 = (1) + \overset{m}{11}{:}^{*}30$	
VI.	$\overset{m}{11}$ est Epacta.	

Anno 98 Epacta est 11.



ARTICULUS TERTIUS.

DE LITTERIS DOMINICALIBUS POST CALENDARII CORRECTIONEM.

49. Cum annus tropicus 365 dies, 5 horas, 48 minuta prima, 49 minuta secunda, 42 minuta tertia ($365^{d.}\ 5^{h.}\ 48^{I}\ 49^{II}\ 42^{III}$) contineat, non vero 365 dies et 6 horas, uti Calendarium Julianum supputabat, annus solaris juxta Julianam supputationem longior est 11 minutis primis, 10 minutis secundis, et 18 minutis tertiis ($11^{I}\ 10^{II}\ 18^{III}$). Hæc differentia 11 plus minutorum causa fuit ut æquinoctium vernum, a quo dies Dominica Paschalis dependet, et quod anno 325° fuerat diei 21æ Martii a Concilio I. Nicæno restitutum, anno 1580° diebus 10 prius contingeret et in diem 11um Martii incideret. Nam hæc 11 minuta faciunt 24 horas per spatium 134 annorum, ita ut, annis 134 pervolutis, æquinoctium vernum 1 die prius incidat, quam in Juliana supputatione, qua annus supponitur esse 365 dierum et 6 horarum. Ecclesia anno 1582° ad hunc præteritum errorem corrigendum

statuit (1), ut 10 dies in mense Octobris ipsius anni diminuerentur, ut videlicet post 4^{am} diem Octobris, sequens dies esset 15^{a} hujus mensis. Quam ob rem littera Dominicalis, quæ eo anno erat *g*, post 15^{am} diem Octobris in *c* mutata fuit.

50. Insuper Ecclesia ad eumdem errorem in posterum evitandum statuit ut bissextus 4^{to} quoque anno, ut antea est, continueretur, sed, ab anno 1601° inclusive initium ducendo, in 400 quibusque annis, primi tres seculares seu centesimi anni, qui antea bissexti erant, deinceps sine bissexto transigerentur, solum quartus quisque secularis annus remaneret bissextus (2). Hinc omnes anni non seculares, quorum numerus non est exacte per 4 divisibilis, uti ante Calendarii correctionem non sunt bissexti: Sed nec amplius bissexti sunt ii anni seculares, seu anni ultimi cujusvis seculi, cujus *seculi* numerus non est exacte per 4 divisibilis, ex. gr. annus 1700^{us}, 1800^{us}, 1900^{us}, 2100^{us}, 2200^{us} etc. non sunt bissexti, cum numeri 17, 18, 19, 21, 22 non sint per 4 exacte divisibiles. Quoniam igitur ex hac correctione quaterna quæque secula tribus diebus minus quam antea intercalantur, litteræ Dominicales in cyclo solari (28 annorum), qui annum secularem bissexto vacantem includit, non redeunt eodem ordine ac in cyclo præcedenti, aut subsequenti. Hujus tamen subsequentis cycli litteræ Dominicales rursum eodem ordine in sequentibus cyclis circumeunt usque ad cyclum qui denuo annum secularem bissexto vacantem includet.

51. TERTIA FORMULA ALGEBRICA

AD INVENIENDAM LITTERAM DOMINICALEM POST CALENDARII CORRECTIONEM.

$$L = R[S—R(A + IA:*4 + IS:*4):*7]:*7$$

EXPLICATIO ABREVIATIONUM ET NUMERORUM METHODICORUM.

52. L. (vide supra N. 10).

53. *R*. (vide supra N. 11).

---

(1) Summus Pontifex Gregorius XIII die VI Kalendas Martii anni 1582 Calendarii correctionem publicavit per Bullam *Inter gravissimas.* Qui in hac correctione operam præstiterunt, præcipui fuerunt Cardinalis Sirlet, Christophus Clavius S. J. Germanus, et Aloysius Lilius medicus Neapolitanus, qui ultimus ante bullæ promulgationem obiit.

(2) In spatio circiter 134 annorum una dies diminuitur.

54. S. = Numerus *seculorum* anni, de quo quæritur.
55. *I.* (vide supra N. 13).
56. A. (vide supra N. 12).
57. De numero methodico *4 (vide supra N. 15).
58. De numero methodico *7 (vide supra N. 16).

ARITHMETICA OPERATIO

TERTIÆ FORMULÆ ALGEBRICÆ.

EX. GR. DE ANNO 1624.

59. I. Numerum anni, de quo quæris, divide per *4, et integram quotientis partem adnota per *h*, residuum vero divisionis rejice.

$$\text{Ex. gr. } {}^{a}1624:{}^{*}4 = \overset{h}{406} + (0:{}^{*}4)$$

II. Numerum seculorum anni, de quo quæris, divide per *4, et integram quotientis partem adnota per *j*, residuum vero divisionis rejice.

$$\text{Ex. gr. } {}^{s}16:{}^{*}4 = \overset{j}{4} + (0:{}^{*}4)$$

III. Numero anni adde duplicem præcedentem integram quotientis partem *h* et *j*, et totum adnota per *k*.

$$\text{Ex. gr. } {}^{a}1624 + \overset{h}{406} + \overset{j}{4} = \overset{k}{2034}$$

IV. Totum *k* divide per *7, et residuum divisionis adnota per *l*, integram vero quotientis partem rejice.

$$\text{Ex. gr. } \overset{k}{2034}:{}^{*}7 = (290) + \overset{l}{4}:{}^{*}7$$

V. Ex numero seculorum subtrahe residuum *l*, et differentiam adnota per *m*.

$$\text{Ex. gr. } {}^{s}16 - \overset{l}{4} = \overset{m}{12}$$

VI. Differentiam *m* divide per *7, et residuum divisionis adnota per *n*, integram vero quotientis partem rejice.

$$\text{Ex. gr. } \overset{m}{12}:{}^{*}7 = (1) + \overset{n}{5}:{}^{*}7$$

N. B. Numerus seculorum anni, de quo quæritur, littera *s* ad sinistram adjecta, indicatur.

VII. Residuum divisionis n est numerus indicans litteram Domínicalem, de qua quæris.

Porro $\overset{n}{5}$ indicat litteram Dominicalem *f*.

Ergo anno 1624 littera Dominicalis est *f*.

60. I. EXEMPLUM.

Quæritur littera Dominicalis anni 1624.

I. $^{a}1624:{}^{*}4 = \overset{h}{406} + (0:{}^{*}4)$

II. $^{s}16:{}^{*}4 = \overset{j}{4} + (0:{}^{*}4)$

III. $^{a}1624 + \overset{h}{406} + \overset{j}{4} = \overset{k}{2034}$

IV. $\overset{k}{2034}:{}^{*}7 = (290) + \overset{l}{4}:{}^{*}7$

V. $^{s}16 - \overset{l}{4} = \overset{m}{12}$

VI. $\overset{m}{12}:{}^{*}7 = (1) + \overset{n}{5}:{}^{*}7$

VII. $\overset{n}{5}$ indicat litt. Dominic. *f*

Anno 1624 littera Dominicalis est *f*.

61. II. EXEMPLUM.

Quæritur littera Dominicalis anni 1802.

I. $^{a}1802:{}^{*}4 = \overset{h}{450} + (2:{}^{*}4)$

II. $^{s}18:{}^{*}4 = \overset{j}{4} + (2:{}^{*}4)$

III. $^{a}1802 + \overset{h}{450} + \overset{j}{4} = \overset{k}{2256}$

IV. $\overset{k}{2256}:{}^{*}7 = (322) + \overset{l}{2}:{}^{*}7$

V. $^{s}18 - \overset{l}{2} = \overset{m}{16}$

VI. $\overset{m}{16}:{}^{*}7 = (2) + \overset{n}{2}:{}^{*}7$

VII. $\overset{n}{2}$ indicat litt. Dominic. *c*

Anno 1802 littera Dominicalis est *c*.

62. III. EXEMPLUM.

Quæritur littera Dominicalis anni 2003.

I. $^{a}2003:^{*}4 = \overset{h}{500} + (3:^{*}4)$

II. $^{a}20:^{*}4 = \overset{j}{5} + (0:^{*}4)$

III. $^{a}2003 + \overset{h}{500} + \overset{j}{5} = \overset{k}{2508}$

IV. $\overset{k}{2508}:^{*}7 = (358) + \overset{l}{2}:^{*}7$

V. $^{a}20 - \overset{l}{2} = \overset{m}{18}$

VI. $\overset{m}{18}:^{*}7 = (2) + \overset{n}{4}:^{*}7$

VII. $\overset{n}{4}$ indicat litt. Dominic. *e*

Anno 2003 littera Dominicalis est *e*.



ARTICULUS QUARTUS.

DE EPACTIS

POST CALENDARII CORRECTIONEM.

63. Cum lunatio media 29 dies, 12 horas, 44 minuta prima, 3 minuta secunda ($29^{d}\,12^{h}\,44^{\mathrm{I}}\,3^{\mathrm{II}}$) contineat, non vero 29 dies, 12 horas, 44 minuta prima, 25 minuta secunda, 32 minuta tertia ($29^{d}\,12^{h}\,44^{\mathrm{I}}\,25^{\mathrm{II}}\,32^{\mathrm{III}}$), uti Julianum Calendarium supputabat, lunatio juxta Julianam supputationem 22 minutis secundis, 32 minutis tertiis longior est, quam vera media lunatio. Porro excessus 22 minutorum secundorum et 32 minutorum tertiorum in singulis lunationibus efficit ut, pervoluto uno cyclo decennovennali seu 19 annorum spatio, novilunium 1 hora, 28 minutis primis, 15 minutis secundis, 20 minutis tertiis ($1^{h}\,28^{\mathrm{I}}\,15^{\mathrm{II}}\,20^{\mathrm{III}}$) præcedat; et post 312 ½ circiter annos fere 24 horis seu 1 die, post 625 annos, 2 diebus, et post 1250 annos, 4 diebus prius contingat, quam in Calendario Juliano assignatum.

Hic error causa fuit ut circa annum 1580^{um} novilunium 4 diebus prius incideret, quam in calendario assignatum. Ad hunc præteritum errorem corrigendum, Ecclesia statuit ut eo correctionis anno (1582), 10 diebus ob erroneam anni tropici supputationem detractis, 3 dies adderentur Epactæ hujus anni (1); ideo in ea correctione factum fuit ut eo anno, quo Epacta erat 3, et dies 4^{us} Octobris erat 14^{a} luna, dies subsequens, qui fuit habitus 15^{us} Octobris, esset non 15^{a} sed 18^{a} luna, et Epacta post diem 15^{um} Octobris esset 26 (2).

64. Præterea Ecclesia ad eumdem errorem in posterum evitandum statuit ut, annis non secularibus seu non centesimis, Epactalis progressus per 11 dierum augmentum, et, occurrente Aureo numero 19, per 12, uti mos est, continuaretur; insuper statuit ut ab anno 1400° exclusive initium ducendo, in quaque futura 25 seculorum, seu 2500 annorum periodo, 8 dies Epactis adderentur, eo modo, ut, incipiendo ab anno 1400° exclusive, occurente quarti seculi anno, scilicet 1800°, Epactæ adderetur prima ex octo unitatibus, et deinceps occurrente tertii seculi ultimo anno in singulis

---

(1) Cum anno correctionis novilunium 4 diebus præcessisset diem in Calendario assignatum, 4 dies addi Epactæ debuissent; At Ecclesia statuit 3 tantum dies addi, quia voluit ut novilunium ideo et plenilunium in Calendario assignaretur posticipatum, ne dies Dominica Paschalis Christianorum cum Paschate Judæorum concurreret. Judæi enim Pascha celebrant in Mensis Nisan plenilunio, quod in diem verni æquinoctii cadit, vel ipsum proxime sequitur. Ecclesia vero illud celebrat die Dominica post plenilunium, quod verno æquinoctio contingit, vel ipsi proxime succedit. Si igitur plenilunium Ecclesiasticum sit posticipatum, Paschalis Dominica dies nunquam concidet in plenilunio, quo Judæi Pascha celebrant. Unde novilunium in Calendario per Epactas assignatum non solum est medium sed etiam posticipatum, ita ut verum novilunium sæpissime uno vel duobus diebus, quandoque tribus prius contingat, et raro in eodem die incidat.

(2) Anno correctionis Calendarii Epacta erat 3. Si numero 3 addas 3, summam habebis 6. Si ex 6 subtrahas 10 (nempe numerum dierum in eo solari anno suppressorum), habebis minus 4. Si rursum 4 subtrahas ex 30 (nempe numero unius cycli Epactarum), summam habebis 26, seu $3+3=6$, $6-10=-4$, $30-4=26$: ideo eo anno Epacta, cui additi fuerunt 3 dies, mutata fuit in 26 : et Epacta anni subsequentis fuit 7.

ternis seculis usque ad complenda 25 secula, quæ anno 3900^{o} inclusive desinent, Epactis successive adderetur una ex reliquis septem unitatibus : Postea per alia 25 secula, eadem prorsus ratione Epactis adderentur alii 8 dies, et ita deinceps. Ideoque Epacta, quæ progreditur ad annum 1800^{um}, 2100^{um}, 2400^{um}, 2700^{um}, 3000^{um}, 3300^{um}, 3600^{um}, 3900^{um}, 4300^{um}, 4600^{um}, 4900^{um}, 5200^{um}, 5500^{um}, 5800^{um}, 6100^{um}, 6400^{um}, 6800^{um}, 7100^{um}, 7400^{um}, 7700^{um}, 8000^{um}, 8300^{um}, 8600^{um}, 8900^{um}, 9300^{um}, 9600^{um}, 9900^{um}, 10200^{um}, 10500^{um}, 10800^{um}, 11100^{um}, 11400^{um}, 11800^{um}, 12100^{um}, 12400^{um}, 12700^{um}, 13000^{um}, 13300^{um}, 13600^{um}, 13900^{um}, 14300^{um}, 14600^{um}, 14900^{um}, 15200^{um}, 15500^{um}, 15800^{um}, 16100^{um}, 16400^{um} etc., 1 die plus supra communem progressum nempe 11 dierum adaugetur.

65. Igitur in correctione Calendarii, ut illud anno tam solari quam lunari conforme esset, duplex *æquatio* fuit statuta, *solaris* videlicet et *lunaris*. *Æquatio solaris, Metemptosis* dicta, consistit in hoc quod anno correctionis dempti fuerunt 10 dies ex Octobri, et in futurum supprimentur bissexti dies in 3 secularibus annis quaternorum quorumque seculorum (1). *Æquatio lunaris, Proemptosis* dicta, consistit in hoc quod anno correctionis 3 dies additi fuerunt Epactæ hujus anni, et in posterum 8 dies addentur Epactis 8 secularium annorum in quaque 25 seculorum periodo (2). In anno seculari *Æquationi solari* subjecto (3), ob bissexti suppressionem novilunium una die posticipatur, et ideo progressus Epactalis ad hunc annum una die a communi progressu nempe 11 dierum diminuitur : in anno vero seculari *Æquationi lunari* subjecto (4), ob Epactæ augmentum novilunium una die anticipatur, et ideo progressus Epactalis ad hunc annum una die augetur supra communem progressum. In Epactali igitur ad annum secularem progressu ratio hujus duplicis *Æquationis* habenda est, simul cum respectu ad Aureum numerum 1 : progressus enim Epactalis

---

(1) Vide supra N. N. 49. 50.

(2) Vide supra N. N. 63. 64.

(3) Annus secularis *Æquationi solari* subjectus dicitur is, in quo bissextus est suppressus et ideo ejus Epacta diminuitur 1 die : vice versa annus huic *Æquationi* non subjectus dicitur is secularis, in quo bissextus servatur.

(4) Annus secularis *Æquationi lunari* subjectus dicitur is, qui adnumeratur inter 8 seculares annos in quaque 25 seculorum periodo, et cujus Epacta augenda est 1 die : Vice versa annus huic *Æquationi* non subjectus dicitur is, qui non est inter illos 8 seculares annos, et cujus Epacta neque augenda est.

de anno sub Aureo Numero 19 ad annum sub Aureo numero 1, semper 1 die augetur, uti supra N. 28 diximus.

66. Hinc progressus Epactalis 1°. ad annum secularem *Æquationi solari* non vero *lunari* subjectum, neque sub Aureo Numero 1, habet 10 dies : 2°. ad annum secularem *a) Æquationi* cum *solari* tum *lunari* subjectum, sed non sub Aureo numero 1, *b) Æquationi solari,* non *lunari* subjectum, et sub Aureo numero 1, *c) Æquationi* neque *solari* neque *lunari* subjectum, nec etiam sub Aureo numero 1, habet 11 dies : 3°. ad annum secularem *a) Æquationi* cum *solari* tum *lunari* subjectum, et sub Aureo numero 1, *b) Æquationi* non *solari,* sed *lunari* subjectum, neque vero sub Aureo numero 1, *c) Æquationi* non *solari* nec *lunari* subjectum sed sub Aureo numero 1, habet 12 dies : 4°. ad annum *Æquationi* non *solari* sed *lunari* subjectum, et sub Aureo numero 1, habet 13 dies. Hos varios Epactarum progressus clarius exhibebit tabula sequens.

67. TABULA

EPACTALIUM PROGRESSUUM IN ANNIS SECULARIBUS.

	Annus secularis.	Subjectus Æquationi solari.	Subjectus Æquationi lunari.	Sub Aureo numero 1.	Habet Epactalem progressum.	Exempla.			
					Per dies.	Anno	1699	Epacta	29
I.	,,	,,			,, ,, 10	,,	1700	,,	9
						,,	1799	,,	23
II.	,,	,,	,,		,, ,, 11	,,	1800	,,	4
						,,	1899	,,	18
	,,	,,		,,	,, ,, 11	,,	1900	,,	29
						,,	1999	,,	13
	,,				,, ,, 11	,,	2000	,,	24
						,,	13299	,,	29
III.	,,	,,	,,	,,	,, ,, 12	,,	13300	,,	11
						,,	2399	,,	22
	,,		,,		,, ,, 12	,,	2400	,,	4
						,,	7599	,,	23
	,,			,,	,, ,, 12	,,	7600	,,	5
						,,	15199	,,	20
IV.	,,		,,	,,	,, ,, 13	,,	15200	,,	3

68. 1°. Anno seculari, cujus Epacta per progressum 10 dierum exorta est, mensis lunaris decembri præterito inchoans habet 31 dies, et 31^{us} dies decembris, et dies subsequens nempe 1^{us} Januarii pronuntiantur sub eodem numero lunæ : ex. gr. dies 31^{us} decembris anni 1699^{ni}, et 1^{us} Januarii 1700^{mi}, uterque pronuntiatur 10^a luna.

2°. Anno seculari, cujus Epacta per progressum 11 dierum exorta est, mensis lunaris decembri præterito inchoans habet 30 dies. Si hic annus sit sub Aureo numero 1, dies 31^{us} præteriti decembris et 1^{us} Januarii pronuntiantur sub eodem numero lunæ, et hic mensis lunaris terminatur in Januario sub numero 29 lunæ : ex. gr. dies 31^{us} decembris anni 1899^{ni} et 1^{us} Januarii 1900^{mi} uterque pronuntiatur 29^a luna (1).

3°. Anno seculari, cujus Epacta per progressum 12 dierum exorta est, mensis lunaris decembri præterito inchoans habet 29 dies, et inter diem 31^{um} decembris præteriti et 1^{um} Januarii omittitur pronuntiatio unius diei, et mensis completur sub numero 30 lunæ : ex. gr. dies 31^{us} decembris anni 2399^{ni} pronuntiatur 3^a luna, et 1^{us} Januarii 2400^{mi} pronuntiatur 5^a luna, et mensis completur sub 30^a luna.

4°. Anno seculari, cujus Epacta per progressum 13 dierum exorta est, mensis lunaris decembri præterito inchoans habet 28 dies, et inter diem 31^{um} decembris præteriti et 1^{um} Januarii omittitur pronuntiatio unius diei, et hic mensis completur sub numero 29 lunæ : ex. gr. dies 31^{us} decembris anni 15199^{ni} pronuntiatur 1^a luna, et 1^{us} Januarii 15200^{mi} pronuntiatur 3^a luna, et mensis sub 29^a luna completur.

69. Cum Epactæ post Calendarii correctionem non uti antea uniformiter progrediantur, et earum 19 arithmeticæ notæ, quæ olim in usu erant, jam non sufficiant, 30 notæ fuerunt statutæ : quæ quidem non simul adhibentur, sed desumuntur tantum 19 notæ pro usu in certa annorum periodo: qua terminata, alia 19 notarum series assumetur. Ea autem periodus completur, interveniente anno seculari, in quo occurrit *Æquatio solaris* et non *lunaris,* vel vice versa. Occurrente enim *Æquatione solari* non *lunari,* progressus Epactalis diminuitur 1 die, occurrente vero *Æquatione*

---

(1) Anno sub Aureo numero 1, luna in kalendis Januarii pronuntianda est 1 die minor, quam littera Martyrologii adnotat. De hoc vide Explicationem in Martyrologio.

lunari et non *solari,* adaugetur 1 die (1). Quam ob rem, interveniente hujusmodi seculari anno, Epactæ de 1 unitate majores aut minores sunt, quam in serie præcedenti, et ideo Aureis numeris cum eadem differentia respondent. Porro *Æquatio solaris* pluries quam *Æquatio lunaris* recurrit, cum illa in 25 seculis octiesdecies vel noviesdecies contingat, hæc vero nonnisi octies : hinc in decursu seculorum singulæ Epactæ locum habebunt cuilibet Aureo numero respondendi. Seriem Epactarum in seculorum periodis variari indicabunt sequentia Exempla.

I. Series Epactarum ab anno 1900, (quo occurrit *Æquatio solaris* et non *lunaris*) ad 2199 (2) :

Epacta. 29, 10, 21, 2, 13, 24, 5, 16, 27, 8, 19, *, 11, 22, 3, 14, xxv, 6, 27.
Aur. num. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19.

II. Series Epactarum ab anno 2200, (quo occurrit *Æquatio solaris* et non *lunaris*) ad 2299 :

Epacta. 28, 9, 20, 1, 12, 23, 4, 15, 26, 7, 18, 29, 10, 21, 2, 13, 24, 5, 16.
Aur. num. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19.

III. Series Epactarum ab anno 2300 (quo occurrit *Æquatio solaris* et non *lunaris*) ad 2399 :

Epacta. 27, 8, 19, *, 11, 22, 3, 14, 25, 6, 17, 28, 9, 20, 1, 12, 23, 4, 15.
Aur. num. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19.

IV. Series Epactarum ab anno 2400 (quo occurrit *Æquatio lunaris* et non *solaris*) ad 2499 :

Epacta. 28, 9, 20, 1, 12, } etc. uti supra II.
Aur. num. 1, 2, 3, 4, 5, }

70. Menses lunares, uti ante Calendarii correctionem, sunt 29 dierum vel 30 alternatim : sed in primis 4 paribus mensibus solaribus, et in 2 ultimis imparibus 1 dies omittitur, Epactam XXV cum 26, aut 25 cum 24

---

(1) Vide supra N. 65.

(2) Interveniente anno seculari nempe 2000°, non mutatur series Epactarum, quia eo anno *Æquatio* nec *solaris* neque *lunaris* locum habet : Item interveniente anno seculari nempe 2100°, nec mutatur series Epactarum, quia eo anno *Æquatio* tum *solaris* tum *lunaris* contingit, et in progressu Epactali, unius diei diminutio ob *solarem æquationem,* restituitur adauctione unius diei ob *lunarem æquationem.*

in eadem die uniendo (1), ut mensis lunaris, qui hanc omissionem includit, sit 29 dierum : Ideoque quando Epacta est minor quam 25, mensis lunaris Januario inchoans continet 29 dies, et sequens 30, et sic deinceps alternatim. Si vero Epacta est major quam 24, mensis lunaris Januario inchoans habet 30 dies et sequens 29 et sic deinceps alternatim : Excipienda tamen est Epacta *incommunis* XXV (2) : Sub ea enim mensis Januario inchoans est 29 dierum, et sequens 30, et ita deinceps alternatim.

71. Anni, quorum Epacta si ex 30 subtrahatur, et differentia sit minor quam 12, sunt embolimares : Unde Epactæ, quæ 18 superant, annos embolimares denotant : Annus vero, cujus Epacta est 18, si contingat aub Aureo numero 19, est etiam embolimaris. In spatio unius cycli decennovennalis uti ante Calendarii correctionem sunt 7 anni embolimares.

72. Cum dispositio Epactarum post Calendarii correctionem nonnihil ab ea, quæ erat antea, differat, tabulam illarum hic apponere juvat, eisdemque litteræ Dominicales sunt adjectæ.

---

(1) Vide infra N. N. 73. 74.

(2) In Calendario perpetuo Epacta 25 duplex habetur, una *communis* quæ est scripta sicut cæteræ Epactæ, alia *incommunis*, quæ unica alio modo est consignata : Videlicet si illa sit nigra, hæc est rubra vel vice versa; aut etiam si illa sit vulgaribus numerorum notis consignata, hæc est antiquis numerorum notis scripta, vel vice versa. (Vide infra N. 73).

73. TABULA
EPACTARUM POST CALENDARII CORRECTIONEM ET LITTERARUM DOMINICALIUM.

Dies mensis.	Januarius. Cyclus Epact.	Januarius. Litt. Dominic.	Februarius. Cyclus Epact.	Februarius. Litt. Dominic.	Martius. Cyclus Epact.	Martius. Litt. Dominic.	Aprilis. Cyclus Epact.	Aprilis. Litt. Dominic.	Maius. Cyclus Epact.	Maius. Litt. Dominic.	Junius. Cyclus Epact.	Junius. Litt. Dominic.
1	*	A	29	d	*	d	29	g	28	b	27	e
2	29	b	28	e	29	e	28	A	27	c	xxv 26	f
3	28	c	27	f	28	f	27	b	26	d	25 24	g
4	27	d	xxv 26	g	27	g	xxv 26	c	xxv 25	e	23	A
5	26	e	25 24	A	26	A	25 24	d	24	f	22	b
6	xxv 25	f	23	b	xxv 25	b	23	e	23	g	21	c
7	24	g	22	c	24	c	22	f	22	A	20	d
8	23	A	21	d	23	d	21	g	21	b	19	e
9	22	b	20	e	22	e	20	A	20	c	18	f
10	21	c	19	f	21	f	19	b	19	d	17	g
11	20	d	18	g	20	g	18	c	18	e	16	A
12	19	e	17	A	19	A	17	d	17	f	15	b
13	18	f	16	b	18	b	16	e	16	g	14	c
14	17	g	15	c	17	c	15	f	15	A	13	d
15	16	A	14	d	16	d	14	g	14	b	12	e
16	15	b	13	e	15	e	13	A	13	c	11	f
17	14	c	12	f	14	f	12	b	12	d	10	g
18	13	d	11	g	13	g	11	c	11	e	9	A
19	12	e	10	A	12	A	10	d	10	f	8	b
20	11	f	9	b	11	b	9	e	9	g	7	c
21	10	g	8	c	10	c	8	f	8	A	6	d
22	9	A	7	d	9	d	7	g	7	b	5	e
23	8	b	6	e	8	e	6	A	6	c	4	f
24	7	c	5	f	7	f	5	b	5	d	3	g
25	6	d	4	g	6	g	4	c	4	e	2	A
